



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Nonus Annus Chr. 1624. Soc.
85.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER NONUS

ANNUS CHR. 1624. SOC. 85.



ANNUS interea sæculi quartus supra vigesimum ortus est, Societati latus ac memorabilis ob decretos Ven. Patri Francisco Borgia Beatorum honores, rem per diu summis optatam votis, & nunc demum Deo bene favente confectam. Jam antea Pontifex Paulus V., rogatu Philippi III. Hispaniarum Regis, tres dederat ex Collegio duodecemvirali sacre Rotæ judices, qui de Francisci causa sententiam dicerent. Causam ab illis rite discussam probatamque retulerat mox Franciscus Cardinalis Boncompagnus ad cœtum Purpuratorum, ubi quæstiones de sacris ritibus agitantur, fueratque omnium commune suffragium, in tali statu habendam esse, *ut ad solemnem* (sunt ipsa decreti verba) *servi Dei canonizationem quandocumque deveniri posset*. Nunc ergo, instantibus apud Pontificem, hinc Gaspare Cardinali Borgia beati viri nepote, inde Mutio Societatis Prapósito generali, placuit Urbano VIII. Pontifici, Franciscum Borgia decorari appellatione Beati: sic tamen ut a nostris ubique gentium, a cæteris vero tantum in familia Borgia ditionibus coli posset sacra liturgia, & horariis precibus, quoties dies ejus anniversaria recurreret. Exceptum est summa ubique gratulatione decretum, sed maxime in Hispania, ut suis infra locis indicabimus.

Hujus lætitiæ rei turbavit Neapoli obitus Patris Caroli Mastrilli, quem veluti unum e suis luminibus provincia spectabat. Ediderat illum in lucem Nola, urbs regni Neapolitani notissima. Parentes ipsius, viri æque nobiles ac pii, ordinique nostro addictissimi, cum unum e filiis Gregorium nomine haberent in Societate Neapoli, eo pariter miserant Carolum jam grandiusculum, ut fratris ductu exemploque ad pietatem & litteras adolesceret. At fraternas curas eludebat pueri indoles fervida, a studiis aliena, & ad nugas evagari solita. Angebatur Gregorius, qui oleum, ut ajunt, & operam in eo perdi cerneret. Deliberanti quid factu esset opus, venit in mentem efficere, ut saltem apud Ven. P. Realinum, qui tunc degebat Neapoli, confessionem totius antea-

To. I.

O o o 2

ctæ

RES ROMANÆ.
Franciscus Borgia Beatorum cultu decoratur.

RES NEAPOLITANÆ.
Obitus & elogium P. Caroli Mastrilli.

clæ vitæ perageret. Peregit Carolus, atque ex eo die aliam omnino mentem induit, pietati jam studioque unice deditus, qui antea meris ludis tempus conterebat. Animum deinde adjecit ad Societatem, quam enixe petens, a P. Salmerone Provinciali impetravit. A primo tirocinii aditu id animo alte defixit, duas esse res omni ope studioque sibi curandas, salutem suam prius, deinde proximorum. Quod vero tunc apud se statuit, id in posterum sancte præstitit. Oratoria laude multum excelluit, sacrisque concionibus Italiam fere omnem excoluit, auditus ubique approbatione summa, ac pari fructu. Quantum dicendo valeret, id unum documento esse potest, quod subijcio. Genuæ cum ære alieno oppressa inveniretur publica domus pauperum, Mastrillum rogarunt aliqui, ut ad ejus inopiam sublevandam ditiorum liberalitatem e suggestu excitaret. Fecit ille, ac concione unica movit unum quemdam ex opulentioribus civitatis, ut eadem die in usum hospitii illius centum aureorum millia transferberet. Vim concionantis verbis maximam addebat vitæ sanctitas explorata. Inde summa in vulgus auctoritas, quam perspicere præsertim licuit Neapoli anno superioris sæculi octogesimo quinto. Cum enim plebs infima, in apertam seditionem ob annonæ difficultatem coorta, cædes, rapinas, incendia consternatæ civitati ferociter intentaret, furenti populo primus se objecit Mastrillus, perque confertos armatorum globos, & districtos enses impune discurrens, voce, nutu, aspectu ipso tumultum sedavit, & insanam multitudinem dissipavit. Cæterum prudentia etiam eminuit inter paucos Mastrillus, cuius causa ad gubernandum traductus, rexit cum eximia laude domos Professorum Neapolitanam, & Beneventanam, præter alia quadam provinciæ domicilia. At demum senio fatiscens, laboribusque confectus, pie uti vixerat decessit Neapoli vii. Cal. Septembres.

3.
ResPROVINCIAE
MEDIOLA-
NENSIS.
Collegium Ge-
nuense in sede
stabili colloca-
tur.

4.
Ut deinde ma-
gnificentius ex-
tractum fuerit.

5.
Ortus collegii
Novariensis.

Eodem anno Genuæ data tandem est collegio nostro sedes, ubi perpetuo consisteret. Quæ sita diu fuerat frustra, multoque facilius ibi Societas consummata invenerat unde familiam aleret, quam solum ubi collocaret. Adeo nihil in urbe, ut tunc erat, angusta, & suorum civium vix capaci (nam deinde prolato pomerio facta est multo spatiosior), nihil inquam vacui reperiebatur. Divisi fuerant anno labentis sæculi tertio ab Ambrosiana Professorum domo Patres ad collegii familiam pertinentes. Exinde per annos viginti circiter habitaverant in alieno, ac sæpe domicilium mutaverant. Nunc demum nacti collem editum, & ameni prospectus secus viam, quam Balbiorum nominant, in eo stabilem sibi sedem fixerunt. Intercedebant ex adverso domi forisque quamplurimi, quibus minus idoneus videbatur gymnasio locus, quippe a celebriori urbis parte longe remotus. Vicit tamen eorum sententia, qui locum malebant incommodiorem, quam incertum semper instabilemque, & qualemcunque incommoditatem distantia alis pensari commodis existimabant. Hic ergo sub initium anni Patres ut in suo habitare coeperunt, & juventuti scholas aperuerunt. Erat ibi ædificium vetus, olim coenobium sacrarum virginum, & parva ædes S. Hieronymi titulo consecrata. Hæc ad nostros translata sunt, præter peramplam aream, atque hortum. Cæterum collegium tunc humile, & angustum, progressu temporis multum crevit, ad eamque magnitudinem protractum est, ut jam amplitudine, splendore, magnificentia, vix ulli secundum habeatur in tota Societate. Gymnasium excitatum est tantæ urbis opulentia dignum. Gymnasio additum sublime domicilium: vetus autem quam dixi ædícula, retento S. Hieronymi, additoque S. Francisci Xaverii titulo, in insignem basilicam versa. Quæ cum omnia effecta sint liberalitate ac sumptu nobilis familiæ Balbiæ, huic propterea multum se debere profitetur Societas, & nos qualemcunque reddimus grati animi testimonium, beneficiorum memoriam annalibus interserentes. Sed hæc fuerunt alterius temporis. In annum de quo scribimus inciderunt primordia collegii Novariensis. Novariæ, quæ ducatus Mediolanensis civitas est nobilis, nunc ditioni Regis Sardiniaë adjuncta, gymnasium erat olim ab Amico Canobio conditum, & proventu annuo ad conducendos ludimagistros abunde instructum. Qui rem gy-

gymnastii administrabant hoc anno sodales a sacro pietatis monte nuncupati, seu minus probarent mercenariorum magistrorum operam; seu nostrorum putarent utiliorem fore; Canobianas scholas Societati committendas censebant. Placuit ea de re referre ad consilium publicum civitatis. Perrogatis sententiis, secundissima approbatione accepta relatio est, accitusque statim Novariam P. Pompilius Lambertengus, ut de negotio transigeret. Una illa obstabat difficultas, quod census a Canobio relictus longe esset minor, quam requireret conditio collegii. Nostri enim moris non est collegium justæ magnitudinis aperire, nisi vectigal annuum assignetur auctorum circiter mille, deerantque ad hunc numerum fere quadringenti. Dum res disceptatur, extitere alterius ordinis religiosi, qui scholarum procurationem se suscepturos dicerent minore sumptu. Tamen de priori decreto nihil mutari visum, Quod proventui deerat, partim legato nescio quo Patris Joannis Francisci Martii, partim ex arario civitatis, partim denique assignata pensione ex bonis seminarii episcopalis supplementum. Confecta in hunc modum justa dote, aptata sunt ad formam religiosi domicilii ædes Canobianæ, in easque nostri circa finem Octobris immigrantes docendi initium fecerunt.

Dum ita Novariense collegium excitabatur, proxime absuit ab interitu summo Pontense apud Vulturenos: Deo tamen protegente servatum est, quodque mirabilius, patronum eundem habuit, quem everforem timebat. Defectio vallis Tellinæ a Grisonibus ad Hispanos, de qua alibi dicebamus, magnas, ut notum est, suspiciones moverat Gallis & Venetis, sed Gallis præcipue. Rex Ludovicus, Grisonibus aperte favens, eorumque foederatus, non dissimulabat asfuturum se cum exercitu auxiliari, ut provinciam suam armis repeterent. Ad præcendendas belli causas, convenerat initio, ut Hispani arcem cum universa valle traderent summo Pontifici, tandiu ab eo custodiendas, donec controversia ex bono & æquo componeretur. Quibus assensu mutuo partium firmatis, acceperat re ipsa Pontifex vallem Tellinam in clientelam sedis Apostolicæ, ad eamque occupandam copias præfidiarias miserat sub Nicolao Marchione de Balneis præfecto. Biennium post hæc exierat: quo medio tempore cum nihil certi constitui inter partes de jure illius causæ potuisset, ecce tibi circa initium Decembris vallem invadunt Galli mixti Grisonibus, decem fere millia peditum, equites omnino sexcenti. Percurrunt regionem, ac totam paucis diebus occupant, coactis Pontificiis tradere arcem, quas pauci numero tueri, vel non poterant, vel non audebant. In tam subita rerum conversione, cum appareret Pontanos in ditionem hæreticorum esse redituros, nostri de sua ibi mansione desperantes, abire sponte statuerunt. Vasa ergo colligunt properè, omnique sacro instrumento, & si qua erant alia majoris pretii in tuto collocatis, obviam procedunt appropinquanti adversariorum Duci extra urbis moenia, nihil amplius rogantes, nisi ut in Insubriam salvi dimitterentur. Negavit Dux, & multo quidem liberalius, quam si concessisset. Erat is Marchio Couræus, vir fide & moribus apprime orthodoxus, Societatis autem adeo studiosus, ut ejus filium se palam diceret. Manere jubet in loco Patres, ac sperare meliora: sibi curæ fore ne quid molestiæ capiant: si antea scisset esse Ponte collegium Societatis, eo missurum non fuisse milites: sed quos miserat brevi abducturum, ipsorumque gratia Pontanos ab hibernorum incommodo liberaturum. Multa addidit de sua in nostrum ordinem benevolentia, multa de amicitia, quam pridem cum Mutio Generali contraxisset Romæ. Demum frumento ac pecuniâ donatos dimisit. Post hæc urbem ingressus, divertit ad collegium statim, gratissimam sibi esse dicitans eorum consuetudinem Patrum, quos in omni vita amicissimos esset expertus. Quæ cum oppidani cernerent, nostros sibi deprecatores sumpserunt, ne injuriis militaribus vexarentur. Mulieres ipsæ, nuspiam se alibi tutas a licentia militum arbitrata, in ædem collegii nostri, aut in domos proximas se incluserunt, nec inde pedem efferre quandiu Ponte fuit exercitus ausæ sunt. Ita, non modo discussum collegii periculum, verum etiam

6.
Irrumpunt in
vallem Tellinam
Galli &
Grisones.

7.
Nostri collegium
Pontanum
parant deserere.

8.
Prohibentur a
Duce exercitus
foederati, & hu-
manissime ha-
bentur.

nostris data facultas bene merendi de civitate, & totius gentis animos voluntatesque sibi devinciendi.

9.
Vallem Tellinam duo ex nostris visitant cum Episcopo Germaniensi.

10.
Eorum labores fructuosissimi in illa circuitione.

11.
RES SICILIÆ.
Nostris Diocesim Agrigentinam percurunt.

12.
Memorabilis pacificatio in oppido Castri novi.

His aliud præcesserat beneficium, quo capti vallis Tellinæ populi rebus nostris favebant majorem in modum. Episcopum illi nullum viderant ab annis pluribus, nescias utrum graviore suo damno, an mœrore. Nam cum prævalerent in publico Grisonum conventu hæretici, minime patiebantur Antistitem Novocomensem ad hanc dioceseos suæ partem exire, in eaque potestatem episcopalem & jus exercere. At tandem excusso Grisonum jugo, dum respirabant sub tutela Pontificis Valtellinenses, Desiderius Cardinalis Scaglia, qui tunc Novocomensem regebat Ecclesiam, misit ad eos Sixtum Carcanum, e sacro Prædicatorum ordine Episcopum titulo Germaniensem, ut afflictum gregem episcopali ministerio recrearet. Carcanus socios operis & adjuutores assumpsit nostrorum duos, Patrem Joannem Augustinum Gonfalonarium, de quo est alibi facta mentio, & Patrem Joannem Baptistam Landolum. In sacram expeditionem egressi cum Episcopo Patres, quidquid ubique occurrebat labis tollendum susceperunt, nec est distu facile quantum ad publicam regionis utilitatem contulerint. Tria præ cæteris inventa, quibus præsentis remedio opus. Nuptias inierant multi clam parochis, eoque irritas, aut etiam propter affinitatem incestas. Pecunia passim iniquo fœnore locabatur. Quod vero deterrimum, ut parœcias bene multas hæretici administraverant per diu sub imperio Grisonum, hærebant multorum mentibus falsorum dogmatum semina ab illis jacta, nec facile convelli posse videbantur. Nihil territi tot aspectu vulnerum Episcopus Sixtus, & duo religiosi comites, ad ea curanda aggressi sunt magno animo. Cumque intelligerent, labis originem fere præcipuam esse divinarum rerum ignorantiam, aut quæ ignorantia similis est oblivionem, has ut excinderent mali causas, sic inter se curas partiti sunt, ut Episcopus, orator gravis & efficax, conciones ubique haberet, Gonfalonarius, & Landolus doctrinam fidei explicarent, & confidentibus aures darent. Jam nihil opus est exequi singillatim, quam multum hac laborum assiduitate confectum sit. Mirabantur ipsi se incolæ, ab incitia ad cognitionem rerum divinarum, ab impietate & flagitiis ad religionis officia, ad temperantiam, modestiamque traducti. Neque vero tot labore modico lectæ fruges. Sæpe excipiendis confessionibus Patres dies noctesque solidas perflare immoti debuerunt. Sæpe longam esuriam, & sitim improbam toleraverunt. Adde viarum incommoda, injurias temporum, vigiliæ, ac cæteras demum evangelici ministerii molestias, quas tamen leniebat charitas, nec parum coelestis gratia sublevabat.

Similiter in Sicilia Octavius Cardinalis Rodolphus, recens Agrigentinarum Episcopus renunciatus, ad eam diocesim excolendam sumpserat de Societate sex Patres ex eorum numero, qui post emensa studiorum spatia denuo tironum experimentis exercebantur. Dioecesi trifariam divisa, bini singulas ejus partes obierunt, & ubique populos ad poenitentiam criminum, ad morum emendationem excitaverunt. Celebrata præsertim insignis pacificatio, quam in oppido Castri novi feliciter peregerunt. Erat tota civitas atrocibus odiis in partes discissa. Capita factionum viri primores, & magnis opibus inter suos. Frustra Cardinalis Antistes, frustra Prorex Sicilia Philibertus a Sabaudia operam & auctoritatem interposuerant suam, ut dissidia finirentur. Poterant illi quidem apertas injurias legibus vindicare: sed tollere inclusam animis acerbitatem nulla vis, nulla auctoritas poterat. Patres nihilominus Cosinus Pepius, & Alphonus Bucconius, tam vehementer atque apte de christiana concordia, ejusque utilitatibus perorarunt, ut primi se respexerint factionum duces, & pacem ultro rogaverint adversarios. Pacis arbiter est electus P. Pepius, cui certas leges proponenti omnes (erant omnino quadraginta) acquieverunt. Ita affecti cum essent animi, visum redintegrata concordia documentum aliquod edi publice oportere. Denunciatur singulis, ut certa die in sacellum ædi sacrae proximum conveniant. Convenerunt. Aderant Collegium sacerdotale, Magistratus

urbanus, alique nobiles, qui semper inter dissidentes medi, & in neutris partibus fuerant. His coram processit in medium Pepius, utque exemplo christiana demissionis pacem firmaret, positus humi genibus, singulorum pedes deosculandos suscepit. Ea res multis pudorem incussit. Exilierunt continuo e subfelliis, effusique in mutuos amplexus, voce, lacrymis, osculis sibi invicem injurias præteritas condonarunt. Itum deinde est uno agmine in sacram adem, peractaque augustioribus caremoniis re divina, de sacra mensa omnes participarunt: primo quidem Magistratus, tum cives illi quadraginta, quorum pacificatio agebatur. Spectavit frequens populus, & spectaculum mixtis fletu vocibus approbavit. Lætitiâ & celebritatem clausit publica gratiarum actio, quæ inter latos tormentorum fragores solemnî carmine est perfoluta. Verum hæc in speciem leviora.

Multo sane amplior nostris oblata est seges laboris, & charitatis, faviente dira calamitate, qua hoc anno Sicilia tota contremuit, & magna ex parte desolata est. Illam dico atrocissimam pestilentiam, quam navis Africana Drepanum primo, mox Panormum, aliasque in urbes invexit. Jam ergo quid tam sævo tempore nostri gesserint, breviter exequendum. Drepani simul ac mali initia deprehensa fuerunt, constituti ex nostris sacerdotibus duo, qui sacra tabidis ministrarent. His per urbem incedentibus præibant singuli adjuutores laici cum tintinnabulis, quibus infirmi de adventu Patrum, & de confessione peragenda admonebantur. Publico valetudinario præfectus decreto civitatis P. Casar Boschus collegii rector, aliusque ex primoribus civium. Cum vero placuisset urbem totam in regiones quinque distribui, & in singulis singulas religiosorum familias curam pauperum gerere, regio una Societati tradita est, in qua PP. Franciscus Spuces, & Placidus Carnevalius, stipem ex ditioribus corrogantes, trimestri spatio alimenta pauperibus circiter mille quotidie diviserunt. Præter hæc, prodire interdum conspecti omnes e collegio Patres uno agmine, & cibaria inter pauperes dividenda vicatim circumferre. Demum quamdiu Drepani favere perrexit pestilens lues, hora qualibet diei patuit confluenti populo ædes collegii nostri, audiendisque confessionibus sacerdotes in promptu semper fuerunt. Ita ibi salutem publicam curaverunt nostri, nec tamen, quod prodigii simile visum, tot inter pericula contagionem quisquam contraxit. Elanguit denique morbi vis circa festum Deiparæ in cælum assumptæ, tribus mensibus nondum exactis. At Panormi multo hæsit diutius, & stragem edidit multo graviolem. Non solum ex ima plebe, verum etiam ex potentioribus plurimi perierunt, inter quos Prorex ipse Philibertus Sabaudia Princeps fuit. Ad primum grassantis mali rumorem, obtulerant se nostri magistratibus, parati in omnem vitæ aleam se conjicere, ut languentibus opem ferrent. Nec verò minus impigre suam deinde præstiterunt opem, quam antea obtulissent. Diviso inter plures ministerio, alii ad valetudinarium quoddam suburbanum missi, alii obeundis intra urbem domibus tabidorum destinati fuerunt. Inter primos agmen duxit P. Franciscus Piazza, cum socio Jacobo Amato rei domesticae adjuutore. Hunc intra paucos dies morbus absumpsit. Franciscum ita afflixerat, ut esset moriturus omnino, nisi fuisset cœlesti ope servatus a B. virgine Rosalia, de cujus reliquiis eodem anno inventis mox dicemus. Quo autem tempore lethali ter decumbebat in nosocomio, conspectus interdum est exilire lecto, & reptare ad ægrotos proximos, ut morientibus expiationis ultimæ beneficium representaret. Piazza comes additus fuerat P. Petrus Curtius: sed hunc etiam brevi lues infecit, & egregie laborantem extinxit. Eorum, qui concursandis intra urbem domibus addicti fuerant, primus in aciem prodiit P. Hieronymus Calderarius, & provinciam periculi plenam per duos menses ita gessit, ut videretur valetudinem ac vitam suam in postremis habere. Fertur aliquando una die domos quatuor supra viginti longe inter se distantes adisse, ut suprema sacra morientibus ministraret. At initio Decembris prostratus contagione ejusdem tabis, hilari & exporrecto vultu mortem oppetiit in ædibus Professorum, ubi

13.
Acta nostrorum
Drepani pesti-
lencia faviente.

14.
Panormi tabido-
rum curam no-
stri suscipiunt.

15.
Moriuntur in
eo ministerio
aliqui.

16.
Ope S. Rosaliae convalescit Franciscus Marinus.

17.
Alii aut extinguitur felicitate, aut divinitus perfructi.

18.
P. Jo. Baptistam Mazzulla a Societate deficit.

19.
Impetrat facultatem revertendi ad Societatem.

20.
Obsequio tabularum se devo-

ubi nostris pestilenti morbo contactis valetudinarium paratum fuerat separatim ac proprium, ne reliqui domesticorum inficerentur. Contagiosi pariter occubuerunt Hortensius Gaglianus, & Marius Scaglia, ille auditor theologiae, hic rei domesticae adjutor, uterque dum peste laborantibus obsequium impendebant. Franciscus Marinus, adolescens inter nos optima spei, nec minus titulis opibusque paterna domus, quam virtutibus clarus, decumbebat conclamatus a medicis, eodem lethi genere moriturus. Sed propitium expertus patrociniū Beatae Rosaliae, non tam revaluit, quam revixit. Interest vero scire, quo modo virulentam tabem optimus adolescens hauserit. Ducebatur ad supplicium vir facinorosus, assidente ad latus Marino in ferale carro, multaue subjiciente apta temporis, & mitiganda necis acerbitati opportuna. Homo tunc non malus tanta est suavitate perfusus, ut cum in patibulum agebatur, osculum in fronte defixerit consolatori suo, amoris, & grati animi pignus extremum: quo osculo pestiferam juveni auram fuisse afflatam medici crediderunt, nec temere. Sane quae exorta post paulo sunt in ejus ore pustula, eam praecipue vultus partem occupaverunt, quam impurus dum contactu oris sui foedaverat. Praeter hunc, dum aegrotis sedulo ministrant, impliciti fuerant pestilentia Patres Albertus Alberti, Antonius ab Augustino, & Joseph Zafarana, cum Fratre Joanne Baptista Plangio. Albertus Rosaliae beneficio sanatus est. Francisco Xaverio valetudinem acceptam retulit Augustinus. At Zafarana, ac Plangio mors feliciter obita pii laboris finis & pretium fuit. Caeterorum, qui bene multi in eodem charitatis officio versati sunt, neminem hoc anno lues corripuit.

Nostris, qui in obsequio pestiferorum obierunt, non accensui P. Joannem Baptistam Mazzullam, propterea quod haud ita pridem deserat esse de Societate. Caeterum abs re non erit hoc loco meminisse illius. Nam & gessit digna litteris, & jam ad nos animo ac voluntate redierat. Vixerat in Societate Mazzulla annos dyodeviginti, integra semper fama, eaque opinione virtutis ac prudentiae, ut nondum egressus annum aetatis trigessimum sextum, idoneus visus fuerit regendis in collegio Panormitano conscientibus sociorum. At homo ingenio tetricus, & vanis religionibus turbari solitus, omnibus satisfaciens, uni minime satisfaciebat sibi. Occurrebat illi identidem, quam periculosum sit alienae salutis curam gerere: multo fore securius tale sequi genus vitae, ubi procul a negotiis, Deo, ac sibi tantum vacaret. Haec cogitantem saepe admonuerat conscientia arbiter, subesse ejusmodi angoribus fraudem: Sathanam saepe numero lucis Angelum simulare: sed frustra. Obfirmavit debere omnino se, si salvus esse vellet, solitarium agere. Sic unice futurum ab omni cura vacuum, sic dies totas ac noctes caelestibus inhaurum. In hanc sententiam cum scripsisset semel, iterum, ac tertio ad Mutium, nullamque relinqueret propositi mutandi spem, tandem diploma liberae missionis extorsit. At vix a nobis digressus, sensit miser quam turpiter a malo spiritu sibi fuisset illusum. Facti poenitens, ac multum dolens quod *missa semel manu ad aratrum respexisset retro*, nullam quietis partem capiebat. Scribit ad Praepositum Generalem, recipi denuo in Societatem rogans, ac nullam conditionem respuens, modo reciperetur. Rescriptum est Roma posse recipi, si tamen subire iterum vellet pericula tirocinii: non enim licere alia lege ad sacramentum Societatis admittere, qui eo semel fuerit absolutus. Paratum conditionem implere Praepositus provincialis differrebat, credo, acturus interea cum Generali, ut cum tali viro, qui tot annis laudabiliter religiosa stipendia fecisset, aliquid de summo jure remitteret. Verum audita clade Panormitana, moras rupit Mazzulla, eamque occasionem peropportunam remigrandi ad Societatem, & prioris inconstantiae maculam abolendi ratus, suis omnibus inter pauperes distributis, Panormum venit urenti canicula, ac recta domum probationis petiit. Praerat tirocinio P. Jordanus Cascina, a quo susceptus est tantum ut hospes, tunc adscribendus tironibus, eum litterae decretoriae Praepositi provincialis venissent. Difficile & impeditum erat in contagionis periculo commercium litterarum. Dum ergo illae expectantur

tur, Mazzulla moræ longioris impatiens, & jam pro tirone se gerens, urget Cascinam sibi ut liceat cum bona ejus venia curam tabidorum suscipere: quo annuente, in publicum valetudinarium contendit. Testati postea sunt qui interfuerant, neminem omnium plus operis ibi fecisse, aut alacrius. Nulla est pars ministerii, quam non ultro obiret. Onera convectare, repurgare sordes, salutis aternæ præsidia morientibus circumferre præ cæteris gestiebat, mira despicientia omnium commodorum, ac sui met. Accedebant crebra jejunia, vigilia in multam noctem protracta, & quotidianus plagarum fragor, quo vicina etiam conclavia personabant. Cum sic inter ægros dies posuisset haud amplius quindecim, lethali contagione prostratus est. Decubuit in nuda humo, ac post duas horas, Jesum ejusque Matrem invocans, animam efflavit, ea proripus die, quam ante triduum sibi supremam fore prædixerat. Mortuo habiti honores, qui solent viris sanctitatis eximiae, nec quemquam contagionis metus absteruit, ne accederet propius ad cadaver in feretro jacens, atque illud osculo veneraretur.

Nostri interim, ad placandas coelestes iras, multa privatim & publice piacula adhibuerunt, multas artes, & varias excogitarunt. Illud omnium judicio saluberrimum, quod sparsit per plateas Patres, brevibus quidem, sed clamorosis concionibus concutiebat populum metu confertatum, eumque ad poenitentiam salutarem, & ad morum emendationem hortabantur. Id adeo communiter probatum est, ut aliorum quoque ordinum religiosi exemplum sumpserint, egressique in publicum concionari similiter instituerint, incredibili motu ac fructu civitatis. Eodem tempore aliud Societati beneficium Panormitani debuerunt. Quamdiu lues favere perrexit, P. Vincentius Gallettus jussu & auctoritate Prætoris pecunias administravit, quæ propemodum infinitæ ex ærario publico in ægotantium sumptus erogabantur. Quæ vero, & quanta fuerit in negotio æque difficili ac permolesto fides & integritas viri, testatus est postea ipse Prætor Placidus Brancifortius Leonfortii princeps, datis ad Mutium litteris hujus sententiæ, Vincentii sollicitudine & industria rebus omnibus abunde provisum fuisse, & nihilominus rem pecuniariam sic ab eo tractatam, ita dispensatos sumptus fuisse, ut conservata fuerint civitati millia aureorum ferme triginta, quæ aliis administrantibus profusa fuissent. Addebat, hanc ab illo provinciam fuisse gestam, non modo sine cujusquam invidia, verum etiam cum eximia omnium approbatione & laude, ac totius populi benevolentia singulari. Se præterea Galletti consilio multa providisse, multa ejusdem hortatu perfecisse in commodum rei communis. Demum extrema epistola hæc subiciebat: *Quod Panormum lue pestifera fuerit liberatum, debetur magna ex parte Patri Galletti vigilantia, industria, atque virtuti.* Quæ non amice magis quam vere fuisse ab eo scripta, argumento esse potest, quod anno proximo, cum revixisset post quinque menses pestilentia, quæ videbatur extincta, novisque urbem regiam cladibus funestaret, communibus omnium votis P. Vincentius ad præfecturam eandem pecuniæ publicæ revocatus fuit. At dum pari felicitate munus inunctum exequitur, occubuit pestilentia victima fere ultima, quo proripus tempore sanitas urbi restituebatur. Quanto apud populum in pretio esset, ex una re colligi velim. Increbuerat Panormi rumor, unum quemdam ex medicis gente Græcum, duosque Gallos noxio quodam medicamenti genere luem augere. Fabulæ fidem adhibebant ex ima plebe non pauci, qui propterea justam se habere causam querelarum arbitrati, facto agmine ruunt in forum, & ante aedes Prætoris tumultuantes, clamoribus inconditis reos publicæ calamitatis ad poenam deposcunt. Commodum erat tunc cum Prætor P. Gallettus, qui continuo in conspectum multitudinis egressus, ex ipsis prætorii gradibus exorsus est dicere, quam temere ac falso putarent subesse cujusquam fraudem infortunio, quo, non hominum culpa, sed divino tantum judicio atterebantur. Quiescerent proinde, nec vanis rumoribus agerentur. Viderent magis, ne dum innocentes ad poenam immeritam poscunt, Deum innocentia

To. I.

P p p

vin-

vet, ac pie moritur.

21.

Nostri excitare conantur populum ad poenitentiam.

22.

P. Vincentius Gallettus pecuniam publicam administrat in usum ægotantium.

23.

Moritur deum peste contactus.

24.

De populari quodam tumultu ipsius voce compresso.

vindicem irritarent adversus se. Valuit apud vulgus oratio. Seditiosi, hominum fere duo millia, ad suas singuli domos redierunt taciti quietique, nec de illa contra medicos querela verbum deinceps factum. Ex quo licet existimare, quanta esset ejus auctoritas viri, qui concitatos plebecule animos tam facili negotio flecteret, & ad quietem revocaret.

25.
Corpus S. Rosalix diu questum frustra.

26.
Nunc primum invenitur indicio ipsius.

27.
Ostenta quædam circa factum illud corpus.

28.
In quo statu re-
perta sint ejus ossa.

29.
Veritas reliquiarum novo miraculo comprobatur.

Sed qualiacunque hæc essent, nihil utilius hoc tempore præstiterunt nostri Panormitanis, quam quod ipsorum maxime studio ac diligentia publice coepit venerabile corpus beatæ Rosalix, quo quidem cultu nullum remedium, præsentius in tam atroci diuturna que regni ærumna inventum est. Rem Ecclesiæ annalibus quam quæ maxime dignam, & multorum litteris illustratam juvat hic carptim attingere. Rosaliam virginem nobilissimam, Rogerii regis consanguineam, delituisse aliquandiu in spelunca Erctæ (mons est duo millia passuum a Panormo), in eaque vitam innocentissimam exegisse circa annum rep. sal. MCLX., res erat tota Sicilia certior, quam ut quisquam ambigeret. Tamen sacrum ejus corpus per diversa temporum intervalla perquisitum a Panormitanis, nunquam inventum fuerat. Constanti fama ferebatur, tunc demum repertum iri, cum dira calamitas patriæ ingruisset. Quod qualecunque esset, nuperrime dum grassabatur pestilentia Panormi, mulier de ima plebe vulgaverat, oranti sibi in antro Rosalix adstitisse conspicuam beatam ipsam Virginem, & locum certum indicasse, ubi sacræ ejus reliquiæ tegeantur. Movit testimonium mulieris artificem quemdam Panormitanum nomine Vitum, ut altius effoderet latus illud spelunca, quod mulier designabat. Cum dies aliquot in hoc opere desudasset, offendit denique ad molem, ut tunc quidem videbatur, e solido constantem saxo, sex longam palmos, duos latam, parique crassitudine, informem tamen, ac rudem. Saxum perfringere aggressus, fragmentum malleo decussit, quod magnitudinem reputanti videbatur perleve. At amovere illud conatus, nulla virium contentione potuit, quamvis subsidio vocaret juvenes robustissimos. Tantum in lapide vix palmari pondus satis per se visum mirabile, & quasi certum rei sacratioris indicium. Defixus admiratione Vitus, molem reliquam explorat curiosus, videtque, qua fragmentum disiluerat, inclusam humani capitis calvam concreto circum lapide incrustatam. Eam pius fossor pro certo sumens ad corpus Rosalix pertinere, nihil dubitavit cætera quoque ossa ibidem invenienda. Ecce autem huic affirmandæ fiduciæ novum ostentum, priori quidem abssimile, sed æque admirandum. Cum trahendam suscepisset de montis latere in medium antri molem illam prægrandem, de qua supra dicebam, humo vix circum egesta, sine vestibus, sine machinis, duorum duntaxat hominum manibus, quasi sponte sequax protrahitur. Hoc magis mirari Vitus, ut ad rem humana majorrem. Mittit e vestigio Panormum, qui omnia nunciet Senatui, & Cardinali de Auria Archiepiscopo. Vicissim designantur certi ab iis homines, qui accurrant, arceant turbam, & specus aditum diligenter custodiant usque in diem posterum. Eo die cum venisset ad locum iudex delegatus cum idoneis testibus, saxum diffringitur. In saxo medio apparent porrecta in longum ossa humani corporis, sed adeo tenaciter adhærentia lapideæ materiæ, ut plane constaret, hanc ex aliquo concrevisse humore circum supraque deciduo, & paulatim durato: id quod utrum naturæ artificio, an divina virtute factum esset, pro certo judicari non poterat. Rem miraculo propiorem faciebat forma ipsa lapidis, quæ ad magnitudinem humani corporis erat perfecte dimensa: tum ejusdem natura, quæ candidissimi ac pellucidi onychis speciem referebat. Quidquid id esset, fragmenta omnia Cardinalis deferri ad se jussit, exploraturus per otium, an vere illæ essent tandiu quæsita exuvia Panormitanæ virginis Rosalix, ac decreturus postmodum, utrum venerationi publicæ proponendæ essent. Dum efferebantur, visa de se luculenter testari ipsa Rosalia. Totæ enim congeries lapidum, quorum antea unum multi movere non potuerant, nunc unius tantum humeris vecta est sine labore.

Sollicitus de rei veritate Cardinalis Antistes, ne quid temere constitueret, medicos audit, legum sacrarum peritos in consilium adhibet. Præ cæteris vero nostrum Jordanum Cascinam, virum multiplicis litteraturæ, jubet expendere diligenter, qua veri specie confici posset ex monumentis antiquitatis, esse reipsa illas Rosaliæ virginis mortales exuvias. Imperata fecit Cascina, studio solertiaque qua decuit. Et jam, post laborem assiduam aliquot mensium, videbatur sibi rem confectam habere: cum audit desperatam esse causam, obstare medicos ne quid ultra quæeratur. Movebat medicos, quod in ossium repertorum strue tres exarent diversorum corporum calvæ: una amplior, ac longe supra muliebris corporis modum: reliquæ duæ nimis parvæ, exilisque, ac prope mensuram corporum puerilium. Hinc unanimi consensione confecerant, nihil minus ibi esse, quam quod quærebatur corpus Rosaliæ. Hæsit ad hæc Cascina, non tamen animo conceidit. Unum rogat, sibi ut fiat copia suis inspiciendi oculis, quæ in domestico Cardinalis sacrario servabantur ossa. Cum impetrasset, affuit ipse, alique præterea tres de Societate, cum uno ex Canoniceis, viro gravi doctoque, quibus accessit arbiter Propiscopus. Hi porro singula accurate contemplantes, facile intellexerunt, medicis nocturno tempore, & ad lumen candelæ non satis omnia fuisse perspecta. Nam quæ pueriles visæ fuerant duorum capitum calvæ, nihil erant nisi scutella testacea, & scutellæ ejusdem tegumentum ex materia lapidescente concretum. Quæ autem re ipsa erat calva, minime excedebat muliebris mensuram modum: sed obducta lapideo veluti cortice trium digitorum crassitudine, multo apparebat amplior, quam vere esset. Hæc ipsi postea medici, rebus diligentius observatis, confessi sunt, & jurati affirmarunt. Everso in hunc modum quod contra causam videbatur præcipuum, placuit audire doctiorum judicia. Adesse jubet Purpuratus Antistes delectos ex utroque Clero Theologos, eorumque sententias exquiri. Subdubitantibus qui primo dicere loco sunt iussi, nihilque certi statuerent audentibus, secutus proxime P. Cascina, doctæ & accurata oratione ostendit, nullum esse dubitandi locum: totque rationibus & conjecturis demonstravit, vere illa esse Rosaliæ tandiu quæsita incassum ossa, ut audientium plerosque suam in sententiam traxerit. Eas modo rationes & conjecturas videre est in volumine, quod de eodem argumento luculentissimum scripsit. Cascinæ se adjunxit P. Joseph Augustinus, vir hic etiam theologica scientia clarus, cui deinceps fere omnes reliqui consenserunt. Cardinalem interea urgebant querelæ civium, ejus cunctatione repudiari dolentium quodammodo oblatum a Deo beneficium, malique publici, & gravissimi remedium negligi. Confirmabat hanc hominum opinionem, quod pestilentia ingravesceret magis in dies post repertas Rosaliæ reliquias. Nam cum ante aliquot menses putaretur prorsus extincta, excitata nunc iterum, & aucta viribus, stragem edebat ingentem, totamque desolatura urbem videbatur. Quo tempore, ut hoc obiter notem, obierunt ex nostris alii duo eximie virtutis Patres, Vincentius Bongiorno, & Hieronymus Platamoni, lue contracta, dum in publico valetudinario curam languentibus impendebant. Cardinali adhuc in utramque partem fluctuante, accessit postremo loco sententiis hominum coeli suffragium. Moriebatur Panormi juvenis in sua vicinia notissimus (Vincentio Bonello nomen erat juveni), & uno jam die sensibus omnino destitutus jacebat. Repente sibi redditus, Sacerdotem adstantem orat, obtestaturque ne cunctetur adire Pontificem Cardinalem, atque hæc illi totidem verbis refert. Quæ apud eum servarentur ossa, procul dubio reliquias esse B. Rosaliæ. Nihil jam diu de earum veritate disceptatum videri. Non prius cives presentibus malis liberatum iri, quam repertum corpus per urbem honore debito circumferatur, eique cultus publicus persolvatur. Hæc sibi ante quadriduum aperte fuisse indicata ab eadem virgine Rosalia, cum circa illius speluncam venatum illet. Signum nihil his subesse fraudis, fore suam mortem eodem die fecuturam. Nam & hoc sibi prænunciatum ab ea fuisse, simulque mandatum,

30.

P Jordanus Cascina inventas Rosaliæ reliquias asserit.

31.

Medicorum obiecta quædam refellit.

32.

Nostri veritatem reliquiarum tuentur.

33.

Recrudescit pestilentia. Moriuntur ex nostris alii duo.

34.

Veritas reliquiarum iterum comprobatur manifesto miraculo.

ut quæ audisset ex ore ipsius, Cardinali Archiepiscopo significanda curaret. Hæc ita profusus, uti a juvene moribundo fuerant pronunciata, Sacerdos per quam celeriter retulit ad Cardinalem. Visum haud levis momenti esse quod de novo afferebatur. Redire jubetur ad ægrotum sacerdos idem cum duobus ex ordine Capuccinorum Patribus, ut simul ex ipso Bonelli ore quæ narrabantur exciperent. Totam visæ sibi Rosaliæ historiam ægrotus evolvit denuo, ea facultate loquendi, & verborum copia, ac si omnino convaluisset. Addidit, nunquam excidisse sibi mandata Virginis, sed toto triduo conticuisse, ne si omnia ut acta erant referret, ipse se reum faceret noxæ capitalis. Quippe ita lege cautum fuerat, ut intra quas ædes detecta semel fuisset pestilentia, inde nemini fas esset pedem efferre ante præscriptum dierum numerum; Bonellus vero ad venationem exierat, etiamsi in ejus domo decessisset nuper pestilenti morbo uxor ipsius, idque Magistratibus innotuisset. Omnia litteris exceperunt Capuccini, ut ad Cardinalem referrent; necdum egressi fuerant domo, cum Bonellus animam exhalavit.

35.
Corpori S. Rosaliæ decernitur cultus publicus.

36.
Defertur in templum. Vota Senatorum, lætitiæ publicæ documenta.

37.
Circumfertur per urbem insigni pompa.

38.
Ex eo die extinguitur pestilentia Panormi.

Jam ergo motus tam apertissimis divinæ voluntatis indicibus Antistes, neque ultra cunctandum ratus, diem statuit VIII. Cal. Martii, quo demum die suam sententiam pronunciaret. Convenerant ad eam audiendam Senatus urbanus, & collegium Canonicorum in sacellum palatii pontificalis, ubi sacra lipsana servabantur. In eo confessu Cardinalis, longa oratione præfatus de studio solertiaque, quam in indaganda veritate rei gravissimæ posuisset, ad extremum, pro Antistitis potestate pronunciat, quæ viderent ossa, verum esse corpus sanctissimæ virginis Rosaliæ, in honore habendum posthac Panormi, venerandumque cultu publico, ac religioso. Tum assurgens, ossa singula ex ordine, annumerata includit arcule, quam holoserico puniceo coloris circumvestiri jussit, eamque rite obsegnatam Senatui, collegioque Canonicorum tradit custodiendam, adhibitis solemnibus more testibus, & tabulis de re tota confectis. Placuit eadem hora sacrum pignus in templum deferre. Canonici ipsi, alique sacri ordinis insigniores viri, assumpto in hujus honoris partem P. Jordano Cascina, suppositis humeris feretrum in Basilicam metropolitanam asportarunt, ac super aram in templo medio constitutam collocarunt, gestiente præ lætitiæ populo, ac Patronam suam faustis acclamationibus salutante. Cum accessisset ad venerandum Senatus, vocit Rosaliæ arcam è solido argento, ubi ejus ossa decentius reponerentur, ac sacellum præterea in ejusdem honorem magnifice extruendum, ornandumque. Subjiciente opportune Cascina de nobilitanda etiam spelunca, ubi tam nobile pignus tandiu latuisset, id etiam pii Senatores opere præclaro facturos sponderunt. Post hæc civitati universæ, ut in maxima reipublicæ felicitate, gaudium denunciari jusserunt, primo quidem æris campani læto sonitu, mox tormentorum muralium fragore, funeralibus, ac festis ignibus, quibus in rebus eluxit amplissima urbis non minus pietas, quam opulentia. Id unum fortasse minus bene, quod distulerunt sacras reliquias per urbem circumducere, in quo vulgo persuasum erat finem pestilentia fore. Nam cum statuisent supplicationem istam obire sumptu & apparatu quam fieri posset maximo, in eo adornando artifices, etsi numero plures, & pro viribus festinantes, dies ipsos centum, & si quid amplius insumperunt. At enim moram excusavit operis magnificentia & pulchritudo, ejus in tali genere nihil simile se vidisse testabantur ii quoque, qui Romæ, & in aliis illustrioribus Italiae urbibus multa viderant. Indicta fuerat supplicatio ad V. Idus Junii. Hoc die tam communis, tam certa fuit omnibus persuasio, reddendam civitati salutem, ut nemo dubitaret. Magistratus ipsi edicto palam proposito potestatem fecerunt omnibus frequentandi promiscue sacram celebritatem, iis duntaxat exceptis, qui cum essent de contagione suspecti, suis inclusi ædibus curabantur. Eorum quibus interesse licebat, ajunt desuisse neminem. Nec vero civium, & clientum suorum spem fefellit Rosalia. Ab illa die ita desedit morbi late grassantis vis, ut vix reliquæ remanserint raræ admodum, & in-

termortuæ, quasi favillæ incendii recens extincti. Quæ etiam penitus defecerunt postridie Idus Julias, simul ac urbis Prætor profectus ad specum Rosaliæ hospitio consecratam, novis eam operibus ornare ad sacelli normam instituit, ut conceptum a Senatu votum exsolveret. Tam repentinam tantæ urbis salutem, non naturalibus causis partam, sed Rosaliæ precibus impetratam agnoverunt Panormitani, eoque præsertim nomine post illud tempus civem ac patronam suam religione præcipua colendam susceperunt. Porro cœleste beneficium ut constaret clarius, toto bimestri spatio proxime consecuto nemo ægrotavit Panormi, non dicam peste, sed ne levissimo quidem morbi genere, licet in illud tempus inciderent dies caniculares, quo tempore frequentiores vulgo morbi esse solent.

At cum Panormo depulsa est lues, Saccam invasit (Thermas Selinuntiorum appellabant antiqui) oppidum inter Pachynum & Lylibæum situm, & ferventium aquarum salubritate apud scriptores notum, sævit Saccæ morbus mensis omnino septem, donec beneficio Deiparæ, ut piè creditum est, sanitas urbi afflicta rediit. Toto hoc intervallo curam suburbani nosocomii gessit Pater Andreas Terrazzus, magni nominis operarius, habuitque aliquandiu laboris & periculi socium Antonium Verduccium, rei domesticæ adiutorem, ac prohibitatis expertæ virum, quem in ipso misericordiæ officio naviter laborantem pestis absumpsit. Alius ex eodem collegio Sacerdos, quem ex litteris Saccensibus non male mihi conjicere videor fuisse Cosmum Pepium, procurationem sumpsit pauperum mendicatio victitantium, & corrogata a locupletioribus stipe aluisse fertur eorum gregem ingentem, usque ad mille circiter, idque totis mensibus septem. Denum, rogatu urbani Magistratus, receperunt nostri curam purgandi utensilia, aliamque domorum suppellectilem, quas pestis infece- rat: officium, ut maxime necessarium, ita peræque molestum ac periculosum. Eo præ cæteris officio fungi voluit Franciscus Murena, juvenis ornatissimus, tunc humaniorum litterarum magister: sed contagione hærentis in tali rerum genere tabis infectus, mercedem laboris optatissimam retulit, beatam mortem. Atque hic finem habuerunt nostrorum funera, pestilentia, seu verius charitatis ardori imputata, quæ nos ad duodecim numeravimus. In his referendis nonnihil extra annum, de quo scribendum erat, excessimus, ne abruptus esset contextus narrationis ad gravissimam illam Siciliae calamitatem pertinentis. Sed jam ad ordinem temporum revertimur.

Præter ita mortuos, extulit Societas Sicula Gasparem Paraniusum, & Carolum Romanum, duos Patres longe gravissimos, quos sine peculiari elogio præterire non possumus. Paraniusum ob facundia vim, laborumque ac rerum gestarum magnitudinem, Sicilia Apostolum passim vocitabant. Nulla est virtus oratoria, quæ non in eo emineret. Genus dicendi grave, nervosum, nitidum: eruditio solida, & exquisita: vox ipsa, & actio plena roboris, & dignitatis. Habendis concionibus a prima ætate occupatus, Siciliam universam concionando peragravit, incredibileque ubique motus animorum concitavit. Solemne illi erat, priusquam ad concionandum prodiret, ferro se flagro immaniter diverberare, & cilicium setis asperrimis horridum ad vivum induere. Nihil unquam de loco superiore dixit, quod non prius accurate expendisset, provolutusque in genua ante Christi simulacrum scripisset. Christi patientis religione sic tangebatur, ut cogitare videretur nihil, nisi ejus cruciatus & vulnera. In his contemplandis septem quotidie horas ponebat. Hæc ut homines cum honore recolerent, summa ope curabat. Ubicunque fuit, pias sodalitates, supplicationesque in honorem sacrorum vulnerum instituit. Eorundem ipse reverentia, singulis sextis feriis ad extremam usque senectutem jejunare consuevit. Multa narrant supra naturam usum a Paraniuso patrata, multa loco & tempore remotissima prænunciata. Verum ab his nos abstinemus, studio brevitas. Obiit x. Cal. Februarii, Nari in patria sua, ubi nuper fundandum Societati collegium curaverat. Annos numerabat sexaginta novem, quorum apud nos unde

39.
Saccam invadit lues. Nostrorum ibi labores, & funera.

40.
Nostri purgandas suscipiunt infectorum domos.

41.
Obitus & Elogium P. Gasparis Paraniusi.

42.
Mors & Elo-
gium P. Caroli
Romani.

undequinquaginta transegerat. Mortuo, tanquam patri patriæ, civitas Na-
rensis concursu prope incredibili, & multis lacrymis parentavit. Parainfo,
etli ætate longe inferior, virtute propemodum geminus habebatur P. Carolus
Romanus, nisi quod hujus sanctimoniam nobilitas etiam generis ex parte illu-
strabat. Natus enim erat ex Romanis Catanensibus, quorum initia repetuntur a
Romana Columnensium familia ubique gentium notissima. Nihil illi in deliciis,
nihil æque in amoribus fuit, ac Virgo Dei mater, cujus subinde aspectu, &
familiari colloquio dignatum ferunt. Cum esset annorum duntaxat quatuor &
triginta, tironibus instituendis præfectus fuit, idoneum censente magno illo
hominum æstimate Claudio. Gravissimum vero magistratum gessit sapien-
tia tanta, ut ad formandos alumnos Societatis nihil addi, aut demi posse te-
starentur ei, qui omnem ejus agendi rationem propius observabant. Accidit
per illud tempus, ut Panormum inveherentur Carmelita excalceati. Eos cum
certis de causis aversearentur, & injuste vexarent, Romanus jussu B. Vir-
ginis contra invidiam populi tuendos suscepit, summaque rerum inopia labo-
rantes multis largitionibus recreavit. Narravimus supra, loco Indicæ expedi-
tionis, quam impetrare nunquam potuit, instituisse Romanum perpetuam mis-
sionem, ac circumire Siciliam peregrinationibus Apostolicis cœpisse, nullo cer-
to ac stabili domicilio. Hoc laboriosissimum munus nunquam deinde abdicavit,
nunquam intermisit, donec strenuus Christi miles in ipsa velut acie dimi-
cans cecidit. Nam cum Golefanum per summos anni calores excurrisset, dum
ibi ministeria sacre missionis alacriter suo more exequitur, violenta febris
corruptus occubuit xvii. Cal. Septembres, anno ætatis quadragesimo quarto
nondum exacto. Mortui corpus Antonius de Moncada Montis alti dux (is etiam
septimo post anno vitam in Societate clausit) lectica deportari jussit Calatani-
xetam, suæ ditionis oppidum, ne vir sanctitatis opinione inclutus alibi, quam
apud suos jaceret. Susceptum est universæ civitatis & cleri occursum cadaver, con-
ditumque discreto loculo in æde Societatis. Romani adhuc viventis precibus
debuisse quam plurimos eximia beneficia, multos item invocato ipsius jam de-
functi nomine præsentem opem expertos esse, memoria proditum est. Sed ea
nos ad alia festinantes cogimur prætermittere.

43.
RESAUSTRIACÆ
Mors & Elo-
gium P. Marti-
ni Becani.

Eodem anno Viennæ in Austria finem vivendi fecit P. Martinus Becanus,
vir probitatis antiquæ, & humanarum divinarumque litterarum scientia sui
temporis inter primos, quod præclara ejus monumenta testantur. Theologiam
annos duos & viginti docuit, partim Herbipoli, partim Moguntiæ, ac denum
Viennæ, quo vocatus fuerat ab Imperatore Matthia, ut Viennensem Acade-
miam doctrina sua ac nomine illustraret. Utebatur Becanus egregia docen-
di ratione. Religionis arcana sic explicabat, ut abdita promeret, illustraret
obscura, summam perspicuitatem cum singulari brevitate (quæ dos paucis con-
cessa) sociaret. Sed ut multum laudaretur ab ingenio doctrinaque, multo erat
laudabilior ab innocentia morum, & vitæ: ab humilitate præsertim, & candore
quodam ingenio, quo eruditionem eximiam condiebat. Nihil illo mode-
stius, nihil religiosius. Lectus a Ferdinando Cæsare conscientia arbiter ac mo-
derator, ex tam splendido ministerio nihil sibi sumpsit, præter curas multi-
plices laboresque, nec de priori vitæ instituto quidquam remisit. Eadem erga
majores observantia, eadem cum æqualibus familiaritas, idem cultus domesti-
cæ disciplinæ. Aulam quam minimum poterat frequentabat, nec nisi ex offi-
cio. Negotiis vero, præter conscientiam Principis, & religionem, omnino
abstinebat. Quidquid vacui temporis nactus esset, eruditæ scriptioni, aut
precibus dabat. Hæc adeo probabantur Cæsari, ut non facile dixerim, utrum
Becanum plus amaret, an veneretur. Illud quidem certe constat, in omni-
bus de religione negotiis consuevisse pium Principem ejus consilia velut ora-
cula audire, & sequi, utcumque interdum contraria suaderent alii ministri.
Non est hujus loci prolixius exequi, quam multa Cæsar eo auctore fortiter ac
præclare gesserit, tum ad ornamentum catholicæ rei, tum ad perniciem ha-
re-

44.
Confessarius
Cæsaris munus
suum exercet
summa pruden-
tia.

reſeos, tum denique ad morum ac publicæ honeſtatis præſidium: nimis enim longe narratio extra præſcriptum excurreret. Unum diſſimulare non debeo, in quo non minus auctoritatem hominis, quam religioſam dimiſſionem admirari licebit. Celebrabatur Ratiſbonæ conventus Principum, ad eoſque retulerat Caſar de cooptando in Collegium ſeptemvirale Maximiliano Duce Bavariæ, quo loco exciderat Fridericus Palatinus lege majeſtatis damnatus. Id Caſari, id Gregorio XV. Pontifici ſupra quam dici poſſit optatiſſimum erat: ſed utriuſque votis obſtabant in conventu multi, duce ſeptemviro Moguntino, qui tametſi juſtam diceret relationem Caſaris, novitatem tamen periculoſam putabat, metuebatque ne inde bellum inexpiabile inter Germaniæ Principes excitaretur. Norat Ferdinandus, quanti Becanum faceret Moguntinus. Ejus itaque ut fleſceret obfirmatum animum, & de ſententia moveret, non alium adhibere deprecatoſum quam Becanum ſtatuit. Profeſtus ad Antiſtitem orator religioſus cum mandatis Caſaris, totam exprompſit qua pollebat facundiam, omnes eloquentiæ nervos intendit, ut negotium conficeret, ſed nullo effectu. Rationibus rationes opponebat Archiepiſcopus, perſtabatque ad omnia immotus. Poſt aliquot congreſſus, videns Becanus cætera incaſſum eſſe, aliam inire viam ſtatuit, eamque digniorem ſe. Accidit ad pedes Principis ſupplex: orat de genu, ac per quidquid ſanctum ubique eſt obſecrat, ne pergat rem morari, quam Pontifex, quam Caſar, quam boni omnes maximopere optarent, qua denique in magnum catholici religionis commodum ceſſura eſſet. Submiſſionis exemplo victus eſt, quem nulla oratio expugnaverat. Manus dedit roganti Antiſtes, & decreto Caſaris de Bavari ſeptemviratu ſubſcripſit. Ob hæc, aliæque ejuſdem generis multa, ingens erat tota Germania nomen & exiſtimatio Becani, eoque graviore noſtrorum luctu elatus eſt 1x. Cal. Februarius. Natus erat Hilvarembeckæ Belgii municipio ante annos ſexaginta duos, quorum unum ſupra quadraginta meruit in Societate.

Cæterum laborantibus in Auſtria noſtris, ut ex omni ſectarum genere, quam plurimos ad Eccleſiam reducerent, magnam afferebat rei bene gerendæ facultatem pietas Caſaris, cujus hoc anno ſpecimen novum eluxit. Semper ille quidem curarum præcipuam intenderat ad tuendum propagandumque cultum catholici Religionis, nec aliam magis ob cauſam tot Societatem beneficiis cumulabat, niſi quia ſibi perſuaderat, ipſius præſertim opera purgandam aliquando eſſe Germaniam tot errorum peſtibus, quibus miſere foedabatur. At nunc ſe ipſum ſuperans, ad reparanda religionis damna convertit animum ea deliberatione, a qua in poſterum reſilire, nec ſi vellet, poſſet. Dies erat Virgini ab Angelo ſalutata facer. Eo Caſar die, cum ſacra myſteria publice participaret in Imperiali ſacello, ut erat ante aram in genua provolutus, vovit omnipotenti Deo, curaturum ſe omni ope ſtudioque, ut religio catholica in ſuis ubique regnis reſtoreſceret, ſi modo, quod divinæ Matris interventu poſtulabat, pacaret aliquando tandem Hungariam. Eadem religione ſe obſtrinxit auguſta conjux Eleonora, addiditque hortatu Caſaris hanc voto clauſulam, curæ ſibi fore, ut viro ſubjiceret opportune ſtimulos ad voti fidem ſervandam. Neque id piſſimo Imperatori ſatis. Mortuo Becano, ſibi jam aſſumpſerat a confeſſionibus P. Gulielmum Lamormainium, cujus eſt alibi facta mentio. Vidit adſtantem nunc, compellatumque ire juſſit ad Joannem Ulricum Eggembergium, Imperii primarium adminiſtrum, ut idem ab eo votum concipiendum curaret: quæ Lamormainio juſſa celeriter faciente, Eggembergius, etſi tunc ex podagra decumbens, mira alacritate Principi morem geſſit. Poſt hæc, agreſſus Caſar novis ediſtis hæreſim coercere, ſectarum miniſtris graviter interdixit, ne uſpiam intra fines Auſtriæ Bohemiæque ſuos celebrarent coetus, neu ſua, ut vocabant, ſacra ad quempiam deferrent. Aliam mox legem juſſit graviorem Junio ineunte. Cavebatur hac lege, ne quis Paterfamilias liberos, ne tutor pupillos ſtudioſorum cauſa mitteret ad Academiæ hæreticorum. Si quis antea miſſet, ut miſſos continuo revocaret ſanciebatur. Nulli præterea heterodoxo li-

45.
Negotium difficillimum conficit religioſa humilitate.

46.
Votum Ferdinandi Caſaris de propaganda catholici religionis.

47.
Ediſta ejuſdem contra Hæreticos.

ceret

48.
Sociorum labores & fructus in variis Austria locis.

49.
Res gestæ in Hungaria.

50.
Status rerum in Transilvania ante hoc tempus.

ceret in Austria Bohemiaque jus, quod provinciæ vocant, acquirere, aut bona solo herentia emere. Postremo ut omnes sectarum ministri pellerentur: omnes civitates hæresim ejurarent, & catholicam fidem reciperent. Qui intra prænitam diem decreto non paruisent, ii suis omnibus aut venditis, aut exportatis, solum verterent. Edictum ut per Bohemiam Austriamque circummissum est, multo feliciter progredi religio cœpit. Fuerunt sane multi, qui bene usi spatio ad deliberandum dato, maluerunt cultum mutare quam solum, & a sectis, quibus fuerant innutriti, ad veram Christi Ecclesiam transferunt. Nec vero nihil ad eos permovendos contulit nostrorum ubique labor & cura. De Bohemia dicam inferius. In Austria septem jam annos allaborabant non prospere nostri, ut Cremsenses ab hæresi vindicarent. Hoc anno, principale edictum aptis cohortationibus promoventes, paucorum dierum labore negotium feliciter confecerunt, paucissimis inventis, qui patriam deserere mallent quam hæresim. Ex Traunkirchensibus, quo in oppido stationem collegio Passaviensi datam dicebamus suo loco, quadringenti circiter Lutheri superstitionem dedocti catholica sacra perceperunt. Erant ii magnam partem rustici, & nostrorum prædiorum coloni, qui proinde beneficium agnoscentes, bene sibi ac feliciter evenisse affirmabant, quod in jus Societatis transfissent, eoque nomine se rusticorum felicissimos profitebantur. Non adeo prospere initio gesta res Lincii in Austria superiori. Linciensis enim totius provinciæ pervicacissimi, ægerime inducebant animum ut luthoros damnarent. Urgenti edictum de ejectione ministrorum Adamo Herberstorffio urbis Governatori, etsi non auderent palam obistere, non parebant tamen. Tantum adversus nostros, quos rebantur edicti auctores, fremebant. Et nihilominus molliti paulatim constantia Cæsaris, & patientia Patrum, non solum abegerant ministros, verum etiam tertio post anno facti sunt ex toto catholici.

Pax interea inter Cæsarem & Gaborem firmata denuo Societati aperuerat Hungariam. Censebantur toto regno focii omnino triginta sex, duodeviginti in collegio Tyrnaviensi, reliqui apud diversos magnates, quibus dati fuerant conscientiæ arbitri, & sacrorum ministri. Sane pauci numero, qui tamen laborem & industriam multorum æquantes, tum in locis ubi morabantur, tum in aliis ad quæ subinde excurrerant, non paucos, præsertim nobilium, ad catholicam veritatem perduxerunt. Duo fuerunt præcipue, qui in eam quoque partem regni penetrantes, ubi Turcæ rerum potiebatur, Strigonio, Buda, Agria, quæque his finitima peragratis, supra trecentos redemerunt ex iis, quos Turcæ bello Gaboriano in servitutem abduxerant. Neque solum corporis, verum etiam animæ vincula miseris detraxerunt. Nam cum plerique variarum sectarum erroribus impliciti invenirentur, adeo moti sunt Patrum quam experiebantur charitate, ut hoc maxime documento veritatem catholicæ religionis agnoverint. Etiam in Transilvaniam patefactus iterum est nostris aditus, & instaurata missio, quæ ob tumultus belli varios fere conciderat. In hanc regionem ipse olim Gabor, ut Orthodoxis suarum partium gratificaretur, restituendam curaverat Societatem ordinum decreto pulsam, atque proscriptam. Vir quippe firmandæ duntaxat potentiæ intentus, nihil pensî habebat quam sequi religionem mallent, quos sibi fidos, & bello utiles experiebatur. Quin ipse nominatim invitaverat in Transilvaniam Patrem Stephanum Szinum, eique sedem fixam dederat Albæ Juliæ, annona etiam liberaliter attributa unde viveret. Szino deinde comes accesserat P. Gregorius Vafarellus, fluentibusque rebus non inprospere, advenerant post paulo in eandem messem Patres Martinus Bauda, & Stephanus Mori, ac domicilium posuerant Monasterii prope Claudiopolim. Qua quamvis exigua operariorum manu, adeo respirabat catholica res exitio proxima, ut revixisse quodammodo videretur. Præter conciones, & ministeria sacrorum, aperuerant nostri, tum Albæ Juliæ, tum Monasterii ludum litterarium teneriori ætati, ac subinde e suis sedibus ad regionem circumpositam excurrentes, totam fere provinciam veritatis lumine collustrabant.

Lou-

Longe tamen supra ceteros eminebat Szini indefessus labor. Vix arbitror esse in Transilvania locum, quo non ille pervaserit, nec facile sit inire rationem omnium, quos vel a sectis hæreticorum ad Ecclesiam, vel a sceleribus ad poenitentiam, & bonos mores traduxit. Verum tam latos rerum successus paulatim intervertit levitas & inconstantia Gaboris, qui Bohemico innexus foederi, ut reformatos sibi devinceret, sin minus adversari nostris aperte coepit, favere quidem certe desit. Post illud sane tempus Patres annona privati, & multis vexati modis, coacti fuerant apud diversos proceres diversari clanculum, ne injuriis hæreticorum paterent: donec Gabor mutari denuo, & bene erga nos affici visus. Namque ubi pax coaluit, advenientem cum legato Caesaris Patrem Georgium Kaldium, hominem sibi notum, lætus vidit, comiterque excepit, neque solum rogatu ipsi restituit Societati jus domicilii pristinum in Transilvania, verum etiam potestatem ipsi fecit constituendi novam ac stabilem sedem Karansebii, quæ civitas insidet montibus Temesvariam prospectantibus. Ita cum subissent in regionem alii duo Patres, Georgius Butylus, & Stephanus Machius, tribus in locis domicilia collocata fuerunt, Monostorii, Albæ julia, & Karansebii, iterumque instaurata missio Transilvanica, non sine spe reducendæ in illum principatum religionis. Hujus rei latum velut auspiciam fuit casus, quem subjeio, insolens, & scitu dignus. Varadini, dum cæmentarius terram altius molitur, everso prægrandi lapide, resectum est involucrium ex lino. Colligitur statim, explicatur. Latebat in medio linteolum complicatum probe, cum codicillo totidem litteris exarato: *Qui scripsi, Sacerdos fui. Semel dum sacris operabar, calicem vite consecratum effudi imprudens. Madefactum purificatorium ter ablundum curavi: sed quanto magis ablueratur, tanto largius manabat sanguine. Quamobrem prodigio attonitus, hic condidi. Si quis aliquando invenerit, habeat in honore.* Erat tunc forte Varadini Gabor, qui accepta eventus relatione, videre involucrium voluit, scriptum legit, tradiditque uni domesticorum, viro catholico, a quo rem totam audiit P. Szinus, & ad Mutium perscripsit.

Per hæc Vienna P. Christophorus Scheinerus incredibili laborabat invidia, cujus in partem tota de more Societas vocabatur. Erat Scheinerus Archiduci Carolo a confessionibus, idem Principi carus in paucis, eique vicissim addictissimus. Ut difficile est, si quem vere diligas, ejus detrimentis non affici, dissimulare non potuit Scheinerus diversi generis fraudes, quæ committi solebant a Judæis, quos ille sibi fecerat monetales. De his ergo, prætergressus fines officii sui, monuit Archiducem, multaque subjiciens ad rationes ararii pertinentia, Cornelium nescio quem nominavit, virum probatæ integritatis, cui conslandæ feriundæque in posterum monetæ cura tuto deferri posset. Probatum consilium Carolus, atque ita omnino fieri jussit. Quin Scheinerum ipsum, licet invitum, & enixe deprecantem coegit, ut Cornelium in illius negotii procuracione regeret. Ecce autem haud multo post peculatus accusatur Cornelius, conjiciturque in carcerem, quasi dolo male pecuniam surripuerit, aut corruperit. Ille, ut excusaret si quid peccasset imprudens, appellare Scheinerum, nihil a se factum Scheinero inconsulto dicere. Id satis, ut inimici Societatis vulgarent statim, magnum principalis pecuniæ numerum eversum esse fraudibus Jesuitæ. Qui rumor tam late percrebuit, eamque induit speciem veritatis, ut nusquam fortasse alibi infamia inusta sit Societati gravior, aut turpior. At non diu veritate potentior fuit improbitas calumniatorum. Demonstrata est ad liquidum innocentia Scheineri, Cornelii fides in lucemeducta: accusator autem parum absuit, quin capite calumniam lueret. Neque id satis. Cæsar, & Carolus, ut disflarent rumorem temere sparsum, Scheinero testimonium innocentia amplissimum præbuerunt. Quorum ut conspecta sunt diplomata, tunc demum oppressa conticuit volitans per Germaniam calumnia, non tamen sine utili documento nostrorum, ne cujusquam gratia res a sua professione alienas attingant. Eodem tempore aliud amantissimus Imperator exstare

To. I.

Q 9 9

da-

51.
Missio Transilvanica instauratur.

52.
Monumentum religionis casu repertum Varadini.

53.
Gravis contra P. Scheinerum calumnia exciatur Viennæ.

54.
Ejus innocentia ad liquidum demonstratur.

55.
Clagenfurtense
Seminarium in-
stitutum.

56.
Tirones Leo-
bienses divina
ope servantur.

57.
RES BOHEMICÆ
Hæretici hoc
anno ad Eccle-
siam redacti.

58.
Difficultates
alicubi supera-
te.

documentum voluit suæ erga nos benevolentia. Vetus erat multorum, ac commune votum, ut existeret in Carinthia aliquod seminarium, ubi illi præsertim educarentur adolescentes, quorum indolem virtuti ac litteris opportunam domestica paupertas retardabat. Id non modo utile, verum etiam necessarium vulgo putabatur, tum ut juvenes catholica religione ac litteris eruditi in hæreticorum locum succederent, tum ut ex hoc plantario proveniret bonorum copia Sacerdotum, quibus magnam partem destituta regio erroribus vitisque silvescebat. Quod multi optabant frustra, solus Cæsar perfecit. Instituta olim fuerat apud S. Viti Fanum (locus est Clagenfurto proximus) domus pauperum, quam vocabant aulicam, ducto inde nomine, quod ex præscripto fundatoris in ea potissimum alendi essent ii, qui, post annos aliquot in aula peractos, morbis, annis, & inopia confecti vitam ægre tolerarent. Decursu temporis cum cœpissent alii subinde in illam domum irrepere, ejusque nunc administratio menti & votis Archiducum minime responderet, placuit Ferdinando, ut domus aulica contubernio pauperum adolescentum addiceretur, deditque duobus proceribus negotium, ut ejus bona collegio nostro Clagenfurtensi ad seminarium istud constituendum traderent. Fuerat domus aulica olim cœnobium virginum, leges ac disciplinam S. Claræ profitentium, spectabatque ad diocœsim Archiepiscopi Salisburgensis. Is multa causatus, negotio moram objiciebat. Tamen id omne sexto post anno penitus compositum est. Dum Clagenfurtense seminarium constituitur, summum repente periculum creatum est tirocinio Leobienfi, nec nisi altioris providentiæ nutu prohibita tironum clades. Dormiebant illi nocte concubia intra unum conclave, hærentibus hinc inde lectulis ad parietem: cum accidit, ut horribili motu terra concuteretur. Paries, de quo dicebam, subito ruinam duxit a summo ad imum. Cum tamen necesse videretur, omnes omnino lectos opprimi, ita circa illos detorta sunt in ipso lapsu rudera, ut tironum læserint neminem. Atque hæc quidem in provincia Austriaca.

In Bohemica, promoventibus edita Cæsaris hinc magistratibus metu pœnarum, inde nostris suasionem, consiliis, privatis demum ac publicis cohortationibus, incredibiles ad Ecclesiam transitiones hoc anno factæ. Sexdecim circiter fuisse dicuntur hominum millia, quos intra hujus provinciæ fines Societas e diversis sectis abduxit. Lata præsertim accidit multorum conversio in Moravia. Cardinalis a Dietrechstein, qui provinciam administrabat nomine Cæsaris, cum duos haud ita pridem adeptus esset principatus, Lipnicensem, & Kranicensem, constituendos utrobique curaverat binos Societatis operarios, qui sana doctrina incolas hæresi depravatos imbuerent. Votis respondit eventus, ac prope spem superavit. Lipnicenses intra paucos menses manus veritati dederunt omnes ad unum. Cum Kranicensibus certatum est aliquanto diutius: tamen sub finem anni pars civium longe maxima inter catholicos censebantur. Pari prope successu gesta res in aliis pluribus Moraviæ Bohemiæque oppidis, quorum domini rectoresque nostrorum operam flagitarunt. Nec enim satis erat denunciare populis edictum Principis, nisi iidem errorem dedocerentur, nec tam metu, quam charitate ad parendum pellicerentur. Fuit ubi capitæ civitatis, recitato sibi decreto Cæsaris, contumaciter responderunt, citius domos, fortunæque omnes cum liberis & conjugibus amissuros, quam paterentur eripi sibi in percipiendis mysteriis sacrum calicem. Nihil tamen minus iidem abjecerunt. Alibi turba rusticorum, jussa ex diversis pagis unum in locum convenire ad audiendos Societatis concionatores, dilapsa erat in silvam cum armis, parabatque priorem fidem, seu perfidiam potius, ferro tueri. Conjunctionem quidem missus Praga miles compelevit: at hominum pervicaciam vicit paulatim patientia, comitas, & assiduitas Patrum, quibus cum illi se instituendos permisissent, bimestri spatio plerique ad catholicas partes transgressi sunt. Alia ejusdem generis prætermitto, ne sim prolixior. Hæc porro fruges

haud

haud parvo a nostris labore colligebantur. Coacti pluribus in locis Patres pa-
roeciarum curam gerere, pauci multorum officia supplebant. Alii concurran-
dis pagis atque oppidis, populisque erudiendis nullum finem faciebant. Laboris
magnitudinem ipsi mirabantur heterodoxi, indeque moti sunt bene multi, ut
meliora suadentibus dociles se præberent. Spectatus præ cæteris P. Joannes Scu-
tellanus, quem nullo valetudinis respectu laborantem apud Kranicenses, onus
immesum oppressit idibus Augusti. Occubuit vir præclarus oppidanorum in-
credibili lætæ, sepultusque est in eodem templo, ubi nuper omnium primus
catholicæ religionis cultum restituerat, pulsus hæreticorum ministris.

Dum ita nostri salutem curabant publicam, duobus intra Moraviam do-
nati sunt domiciliis, Znoymensi, & Iglaviensi. Hoc posterius obtulerant So-
cietati ante duos annos pii conjuges Michael Adolphus Comes ab Althan, &
Elisabetha de Stotzingo, oblatumque Mutius receperat, ut suo loco dictum
est. Tamen, cum deesset apta ad habitandum domus, collegium reipsa non-
dum aperiatur. Moras ut præcideret Cæsar, quasdam Societati donavit per-
duellium aedes fisco addictas, nostrosque statim in earum possessionem immitti
iussit. Peracta res est cum caremonia insigni. Affuit ipse Cardinalis a Dietre-
chstein Moraviæ Gubernator, ipse fundum Præposito provinciali ex formula
tradidit. Erectum fuerat in platea altare magnificum, prope insulas collegio
addictas. Ibi Cardinalis ante omnia solemne sacrum peregit cum symphonia-
cis, & concentu. Mox circumfusum populum in modum concionis alloquens,
cum gravissima oratione hortatus est, ut inducendos in urbem Patres Socie-
tatis honore debito prosequeretur. Orationem secundissimis animis excepe-
runt cives, quamvis adhuc magnam partem heterodoxi, unum modo rogan-
tes, ut ocys aperirentur suis instituendis liberis scholæ litterarum. Quin ul-
tro domum, quæ publici juris erat, in usum seminarii obtulerunt. Patuerunt
intra mensem scholæ: in scholis censiti statim adolescentes amplius centum.
Et nihilominus cives in hæresi obfirmati, nihil velle minus videbantur quam
superstitionem abjicere. Orabant imo Cæsarem, ut proferret tantisper diem,
quæ ad deliberandum de religione fuerat præfinita, suasque rejici preces dole-
bant. Verum ubi Patres aggressi sunt solita Societatis munia exercere, alia
paulatim populo mens, nec idem habitus animorum. Mirari primo nostrorum
mores, & agendi modum a luxu superbiaque remotum: tantam erga omnes bene-
ficentiam, nullam habendi cupidinem laudare, quæ inter suos ministros nunquam
se vidisse dicerent. Ipsorum deinde alloquio & consuetudine delectari. Postremo,
quasi nova oborta luce, profiteri palam ac libere, male actum esse secum,
quod non multo ante tales accepissent magistros religionis. Ut rem paucis ab-
solvam, omnes intra biennium catholici facti sunt. Itaque tertio post anno Cæ-
sar, cum transiret Iglavia, incredibili suo gaudio audiit, neminem superesse ibi
hæreticum, ubi ante Bohemicam rebellionem ne unus quidem erat catholicus.
Tam latam rerum conversionem nostris hominibus vulgo imputabant. Multum
vero ad eam contulerant, quod merito admireris, etiam adolescentes qui gym-
nasium Societatis frequentabant. Eruditi quippe, non solum litteris, verum
etiam vera credendi regula, hanc subinde objectabant parentibus, quæque au-
dierant in schola, adversus eorum pervicaciam expromebant. Quæ demum ve-
re affirmabant, eadem factis illustribus tuebantur. Inventi aliqui adhuc impu-
beres, qui recurrentibus jejuniorum feriis, famem ad multos dies arido dun-
taxat pane toleraverunt, quia domestici ad eorum constantiam labefactandam
obsonium non præbebant, nisi ex carnibus. Quod abstinentiæ exemplum, in illa
ætate admirandum, grandiores natu confudit, ac nonnullis veritatem catholici
dogmatis persuasit.

Nondum Iglaviam inducta erat Societas, & jam idem rerum nostrarum
fautor munificentissimus Comes Adolphus ab Althan Znoymæ quoque, quæ
civitas est Moraviæ amoenissima ad fluvium Teyam, collegium constituendum
susceperat. Id ut perficeret celerius, Znoymam ipse contendit cum opportunis

To. I.

Q q 2

ad

59.
Labores nostro-
rum, & mors
P. Joannis Scu-
tellani.

60.
Aperitur Col-
legium Iglavi-
ense in Moravia.

61.
Primæ fruges
per socios Igl-
avienses colle-
ctæ.

62.
Nonnullorum
puerorum vir-
tus egregia.

63.
Znoymæ Col-
legium consti-
tuitur.

64.
Civitas Znoymensis anno uno reducitur ad Ecclesiam.

65.
Glacienses Patrum benignitate capti pertinaciam remittunt.

66.
RES RHENANÆ.
Insignis Catholicorum victoria.

ad magistratum litteris Ferdinandi Casaris, tresque secum adduxit Patres Brunensi domo evocatos, præter Gulielmum Lamormainium, qui Prapoliti provincialis nomine de negotio transigeret. Facile transactum est. Templum erat Znoymæ Archangelo Michaeli sacrum, cui adhærebant aedes, & scholæ hæreticis haud ita pridem ereptæ. Cum videretur totius urbis maxime idoneus collegio locus, primum omnium solemnè Ecclesiæ ritu templum repurgatum est. Illud deinde ex aede curiali Patres, aliique pauci catholici adierunt supplicantium in morem, tegente eorum latera milite prædario, ne quid forte contra sacram ceremoniam auderent heterodoxi. Venientibus præsto fuerunt ad fores templi Sacerdotes, & Magistratus urbanus, a quibus templum, aedes, scholas, & his adnexum hortum accepit Comes Adolphus, quaque acceperat, momento eodem Patribus Societatis mancipio tradidit. Hinc sacrum majore ritu celebratum est. Finem ceremoniæ imposuit usitatum carmen gratiarum actionis, quod dum concentu musico peragebatur, læto militarium tormentorum fragore circum omnia personuerunt. Jam quos protulerit fructus novum Znoymensè collegium, vel inde æstimare satis liceat, quod cum coeptum est, catholici in tota civitate censebantur paucissimi: anno autem vix dum exacto, omnes hæresim execrati Ecclesiæ Romanæ sacramentum dixerant. Hujus rei exstat etiam nunc in aede Lauretana monumentum insigne, illuc olim ab Imperatore Ferdinando missum, & inter Principum donaria servatum. Nam cum Ferdinandus post annos tres accessisset Znoymam, & certatim a civibus Pater Patriæ, ac vindex catholice religionis salutaretur, nomine publico donatus est effigie Christi crucifixi perquam assidue facta, cum hac inscriptione: *Arrha fidei a Znoyma Catholica Ferdinando II. data*. Perplacuit Casari munus. Data autem fidei sequestram, & quasi vadem esse Deiparam cupiens, sacram effigiem ad Lauretanam aedem transmisit. Par operæ pretium est factum Glacii, quam in urbem nos ante duos annos reduxerat Carolus Ferdinandi frater, ut suo loco docuimus. Initio quidem, etsi nostri quæ sui erant muneris sedulo exequerentur, parum ex sententia res processerant. Obfirmaverant quippe Glacienses cultum a majoribus traditum nunquam dimittere. At simul atque de præcipuis præteritæ perduellionis auctoribus haberi cognitio coepta est, magna animorum commutatio facta. Multi ex primoribus adaucti conscientia criminis, & bonorum vitæque jacturam metuentes, adire anxie nostros, eorum in tam præfenti periculo opem implorare. Minime recusarunt Patres supplicum patrocinium suscipere. Deprecatores accesserunt ad Casarem, multos legibus exemerunt, multos omni remissa pœna Principi reconciliarunt. Exemplum benignitatis, mirum ut in animos civium penetraverit. Meminerant enim, eosdem hos esse homines, quos haud ita pridem ipsi spoliatione honorum, exilioque damnassent sine causa, & ex urbe sua per summam ignominiam ejecissent. Fore autem ut tot injuriis tanta gratia rependeretur, id nec sperare auli fuerant unquam, & vix nunc experiendo credebant. Quod ad rem magis pertinet, redintegrata civium erga nos benevolentia primus quasi gradus ad religionem instaurandam fuit, indeque initium habuit quæ secuta mox est totius civitatis conversio ad Ecclesiam.

Per hæc in tractu Rhenano, sicut feliciter in dies proferebantur catholici arma foederis, ita ministerio Societatis religio latius propagabatur. Anno superiore Mansfeldius, ope Batavorum utcumque refectus ex clade Floriacensi, irruerat in Embslandiam, nostrosque Mappena ac Vechta expulerat. Eo iterum fugato, penetraverat in Westphaliam cum ingentibus prædonum copiis ferox ille factionis hæreticæ antesignanus Alberstadiensis, totamque late provinciam, & finitimas circum regiones metu consternabat. Contra hunc VIII. Idus Augusti castra movit Tillius catholici exercitus imperator, commissisque ad Sthalonum oppidum prælio, sex hostium millia interfecit, quatuor cum omni bellico apparatu cepit, reliquum exercitum fudit fugavitque. Eo prælio, non solum pacata Westphalia, finitimæque provinciæ, verum etiam reddita est

nostris libertas stationes pristinas repetendi. Illud tamen præstabilius, quod eadem clade fracta est hæreticorum audacia in tantum, ut veram fidem docentibus oblitescere contumacius non auderent. Duæ præ reliquis erant regiones, Embslandia, & Eisfeldia, illa Monasteriensis, hæc Moguntinæ ditionis, in quibus secta Lutheri altiores radices egerat. Ad eas igitur excolendas adjece- runt animum homines Societatis. Placuit initium facere ab Embslandia, quippe ubi jam labore nostrorum Mappena, urbs regionis caput, aliaque circum oppida catholicam fidem receperant. Tres e collegio Monasteriensi egressi sunt Patres, Nicolaus Hunecken, Theophilus Olaus, & Jodocus Thorwesten, ac Vechtam recta contenderunt, evangelicum opus facturi. Sed dum maxime utiliter faciebant, gliscente morbo contagioso, quem Mansfeldicum vulgo appellabant, brevi interierunt priores duo, lue contracta in tabidorum obsequio. Unus itaque cum superesset Jodocus, trium operariorum partes unus implevit, præsentique urbis calamitate ad mentes hominum salubriter concutiendas usus, abduxit ab hæresi multos, plures a vitiorum vetero feliciter excitavit. Edixerat Vechtenfibus Ferdinandus Episcopus, & Princeps Monasteriensis, ut vel catholicam religionem amplecterentur, vel in exilium irent, certa præfinita die, intra quam qui nolent esse catholici, sua omnia sibi habentes Embslandia demigrarent. Contra hujus auctoritatem edicti arma objecerunt initio quidam opulentiores, spe vana ducti, terrefaciendum apparatu belli, ac minacibus Batavorum litteris Principem. At eo persistente fortiter, ut dignum erat, legem a se latam exigere, nostrisque meliorem mentem populo inspirantibus, compressa seditio est. Alii mox atque alii e collegio Monasteriensi submissi sunt Patres, quorum cohortationibus & doctrina paulatim civitati universæ est persuasum, ut hæresim ejuraret. Persanata in hunc modum Vechta, itum est ad minora oppida, Alenam, Halterenam, Werendorpium, aliaque, & pari ubique successu acta res: nisi quod Werendorpienses, sumptis per apertam rebellionem armis, sex ipsas hebdomadas resistenter edicto Principis, nec nisi hortatu & suasionibus Patrum ferociam denique, atque hæresim posuerunt. Ab eo tempore tota Embslandia ejecti sunt pravæ superstitionis ministri, & Curiones ubique orthodoxi constituti: redditus templis suis nitor, sua rebus sacris dignitas, & catholice religionis ritus postliminio revocati. Atque hoc exitu laboratum in Embslandia.

Majoris negotii fuit persuadere Eisfeldia, ut partes Lutheranorum desereret. Rem ibi catholicam procurabant Patres collegii Heiligenstadiensis, & aliqua subinde hæreticorum capita ad Ecclesiam reducebant. Sed obtinentibus magnam curiarum partem Pastoribus Lutheranis, hærebant eorum vestigiis miseræ greges, & in errore jam pridem recepto perstabant incredibili contumacia. Unica suppetebat hæresis profliganda ratio, si amoverentur Curiones hæretici. Quod satis intelligens Joannes Svicardus Archiepiscopus Moguntinus, misit in Eisfeldiam legatos cum mandatis, ut Lutheranos ministros abstinere statim cogerent adibus curialibus, ac nisi se catholicis aggregassent, eos tota regione post bimensem expellerent. Multo tamen consultius fuerat, genus hominum exitiale confestim ejici, ne abuti posset spatium ad remanendum concessum. Namque improbi, quod erat metuendum, utilem rebus suis nacti moram, hoc medio tempore multos mortalium subornarunt, ac ne Jesuitarum, ut aiebant, lenociniis se dimoveri a parentum religione sinerent perpulerunt. Quæ causa fuit, ut circummissi pagatim Patres, ubicunque erant lutherani pastores, parum profecerint, aut ferme nihil. At post duos menses, cum ejecti fuissent perverciæ auctores, tunc vero egressi denuo in regionem focii messem uberrimam collegerunt. Præter multa ubique capita, quæ numerare longum esset, sexdecim ipsos pagos ad professionem Romanæ fidei traxerunt. Tantum Duderstadii, quod oppidum regionis est amplum & frequens, etiamsi Parochi non essent nisi catholici, veritatem repellabant præfracte cives, ejusque magistros majorem in modum averfabantur. Vidit Antistes prudens, non

uno

67.
Fructuosi no-
strorum labores
Vechtæ.

68.
Vechtenfium
contumaciam,
vincit constan-
tia Principis.

69.
Res gestæ in
aliis Embslan-
diæ locis.

70.
In Eisfeldia
nostrorum ope-
ram remoran-
tur Pastores Lu-
therani.

71.
Iis ejectis, om-
nia eveniunt te-
liciter.

72.
P. Jo. Falconius
ab impiorum
manibus divina
ope fervatur.

73.
Recuperat
etiam reculas si-
bi ademptas.

74.
Duderstadien-
sium pertinacia
longo labore
superatur.

75.
Pretiosa mors
P. P. Danielis
Lippii, & Joan-
nis Ravi.

76.
Alii duo Pa-
tres similiter
moriuntur Lip-
stadii.

uno impetu, sed longa velut obsidione expugnandum hostem adeo contumacem. Quare collocandam Duderstadii curavit Societatis stationem temporariam, tamsi in loco mansuram, donec incolæ resipuissent. Stationi præses impositus P. Joannes Falconius, vir ingentis spiritus, & in Moguntina diocesi apostolicis expeditionibus notus, qui commodum ante paucos dies cruentas hæreticorum manus evaserat, nec vero sine cœlesti ope & præsidio, ut ex rei narratione constabit. Contendebat Falconius Moguntia Doesburgum ad concionandum, jumento ut solebat insidens. In itinere occupatus repente ab armatorum immitti globo, jumento dejicitur, nudatur, in interiori silvam abducitur, ut suspendio necaretur. Ille nec conari contra vim, nec mortem indebitam deprecari, ac ne conqueri quidem. Tantum invocare Deiparam, & patronos suos Ignatium Xaveriumque. Ventum erat prope certam arborem. Expediuntur instrumenta supplicii. Cum essent in promptu omnia, inhumani prædones subita misericordia ab inepto destiterunt, atque incolumem dimiserunt. Sensit Falconius adfuisse sibi in tam extremo periculo cœlestem opem, erectusque in genua, Lauretanus, ut loquimur, litanias decurrebat. Cum ecce accurrunt denuo latrones: reddunt quæ abstulerant indumenta, ac jumentum: solummodo ephippia, & paucos libellos sibi ex omni præda retinent. Facilis erat rerum istarum jactura. Quia tamen commodato illas acceperat ab amico, ægre ferebat vir eximie pauper ita periisse, & domino reddi non posse. Cum hac mentis ægritudine Doesburgum attigerat, & in ædem sacram recta contenderat. Precanti nunciatur ex improviso, recepta esse ephippia, cum libris: omnia a latronibus fuisse deposita ante fores adiculæ suburbanæ. Adeo vel in rebus levioribus propitium se suis famulis præbet benignissimus Deus, & eorum voluntatibus obsecundat. Falconius igitur, assumpto in partem operis P. Daniele Lippio, sedem fixerat Duderstadii, ut rem catholicam instauraret. At spem sefellit eventus. Annum ibi integrum commorati duo tam strenui Patres, tametsi nec labori parcerent nec industria, de sex millibus civium ne uni quidem persuadere potuerunt, ut catholicus fieri vellet. Intentata fuerunt ab Antistite graves minæ: milites ad terrorem incutiendum missi. Frustra omnia. Falconius itaque, tantam soli sterilitatem pro merito dolens, atque uni imputans sibi, rediit Moguntiam pudibundus ac mœrens, nullo collecto nisi diurnæ patientiæ fructu. Subiit in ejus locum P. Joannes Ravus, operarius æque strenuus, & nuper collegii Heiligenstadiensis præfectura perfunctus (nec enim visum pro desperatis deserere contumaces), simulque impositum urbi præsidium militum. Cum multæ a refractariis haud segniter exigenter, multis vexatio dedit intellectum, ac paulatim suum labori pretium constitit. Coeperunt Duderstadienses quæ a Patribus docebantur secum expendere maturius, donec cognitam veritatem amplexi sunt centum supra mille, primitiæ frugis multo lautioris in posterum colligendæ. Urbem interea corripuit lues exitialis, ac statim nostri, ut veros Evangelii ministros decuit, juvantis ægrotis totos se devoverunt. At dum salutis æternæ præsidia circumferunt, dum urbem incredibili labore, ac nullo metu concursant, extincti ambo sunt brevi intervallo, Lippius Cal. Septembris, Ravus octavo post die. Insignes plane operarii, & digni gloriosa quam consecuti sunt palma, mortem in officio charitatis obeuntes. Locum ab iis relictum occupavit P. Conradus Otho, ac parem ingressus laborem, sed meliore fortuna, rem ab aliis ceptam feliciter confecit. Ejus hortatu, & auctoritate Septemviri Moguntini, tota ad extremum consensit civitas, ut Romanæ fidei professionem acciperet, tribus tantum exceptis, quibus carior fuit superstio, quam patria. Hunc habuit ibi exitum nostrorum labor, producta urbis conversione in annum sæculi vigesimum septimum, ex quo primum Duderstadiani deseiverant ab Ecclesia prorsus centesimum. Lippia quoque, seu Lipstadii, nuper Societas domicilium acceperat a religiosissimo principe Palatino Neoburgico, ut everfam penitus rem catholicam eo in oppido restitueret. Aderant in loco duo Patres egregii, Adol-

plus

phus Lenepus, & Jodocus Valtherius, nihilque sibi reliqui ad laborem apostolicum faciebant. Verum impigre laborantes Hungarica lues extinxit, anno cum ibi esse coeperant nondum exacto. Quibus sublatis hominibus, Lippiensium conversio est ampliata.

Eodem anno excursions in inferiorem Saxoniam a nostris sunt factæ, & exiguæ Catholicorum reliquiæ usitatis laboribus recreatæ. Duo erant cœnobîa sacrarum virginum, alterum Magdeburgi B. Agneti dedicatum, Alberstadii alterum ordinis Cisterciensis, quod a Matre misericordiæ appellabant. Utrobique virgines, etsi in urbibus omnino lutheranis, non solum catholicæ, sed pia admodum integræque, suorum institutorum retinentissimæ, nostri autem nominis studiosissimæ. Ad hos parthenones bis intra annum excurrere solebant Patres collegii Hildesienfis, ut virgines optimas sacrorum ministerio reficerent, consiliisque & piis allocutionibus ad pietatem accenderent. Ibant porro in amictu non suo, ne quid hæreticis suboleret. Alberstadium proficentibus, paratum semper erat hospitium apud Hysburgenses monachos Benedictinos, vix uno milliari ab illa urbe distantes, qui nostros tecto excipiebant, fovebant, & ad multos dies perquam liberaliter apud se habebant. Qui vero Magdeburgum itabant, ii diversari solebant in cœnobio pariter Benedictinorum Ammenslebiensi: quod ita fieri prudenti consilio curaverat P. Augustinus Turrianus Hildesienfis collegii rector, ne nostri metu hæreticorum cogentur apud virgines hospitari. Nec vero hospitium ægre præbebant Patres Benedictini, sed eam rem percupiebant potius, & in loco beneficii non contemnendi reponebant. Captata enim occasione, nostrorum opera ad profectum animæ utebantur, soliti apud eos conscientiam expiare, de conscientiæ negotiis conferre, novo pietatis ardore incallescere. Alberstadium hoc anno venit P. Joannes Joannis, Magdeburgum P. Andreas Nifenus, egregii ambo, & probatæ virtutis operarii, qui re apud virgines bene gesta, nonnullos etiam lutheranorum catholicis aggregarunt. Atque hæc peregerunt provinciæ Rhenanæ socii extra sua tecta, & in alieno, ut ita dicam, solo. Jam quæ in suis singuli domiciliis laudabiliter gesserint, nihil opus est per partes exequi. Fuerunt quippe ex earum rerum genere, quæ apud nos usu assiduo ferme viluerunt. Ut tamen lectiora aliqua cursim attingam, Hagenæ Senatus, adnitentibus præsertim nostris, doctores Lutheranorum a ministerio divini verbi exclusit, suamque Patribus Franciscanis restituit ecclesiam, ubi heterodoxi annos fere septuaginta cathedram erroris retinuerant. Schelestadii esse coeperant homines Societatis ante annos haud amplius novem, brevique hoc tempore ea facta fuerat commutatio civitatis, ut novam pietatis ac morum speciem miraretur Archidux Leopoldus, affirmaretque palam, videri sibi urbem omnino aliam. Quod quaecunque esset, passim nostrorum industria tribuebatur. Denique in omnibus ubique collegiis hæretici cum Ecclesia sunt reconciliati plures, excessitque eorum numerus usque ad mille & octingentos. Verumtamen tot inter rerum successus desideravit provincia socios unum & quadraginta, quorum plerique laboribus pro animarum salute susceptis absumpti interierunt, nec leve damnum tot orbata commilitonibus fecit. Nullius tamen tam defleta jactura, quam P. Gerardi Wentzeri Præpositi provincialis. Aschaffenburgi extinctus est pridie Cal. Octobris, cum vix totos quinque menses provinciam administrasset: vir pluribus naturæ & gratiæ donis instructus, & inter primos florens religiosa virtute. Rexerat collegia Fuldense, & Spirense, sexque continenter annos præfuerat institutioni tironum, assecutus, quod paucorum est, ut quibus præerat, eos non magis metu, quam charitate intra leges domesticæ disciplinæ contineret. Eo accidit acerbior viri obitus, quod ætatis annum quadragesimum octavum nondum expleverat. Sed de rebus provinciæ Rhenanæ fatis.

In Flandrobeltica novum hic annus aperuit Societati campum laboris, qui nobis erat antea oclusus. Alibi diximus institutas in Belgio fuisse missiones, quas castrenses vocant. Hinc nata occasio instituendi etiam navales. Nam cum

inter

77.
Nostrorum excursions in inferiorem Saxoniam.

78.
Monachi Benedictini nostris hospitium præbent.

79.
Acta in diversis provinciæ partibus.

80.
Mors & obitum P. Gerardi Wentzeri.

81.
RES FLANDRO-BELGICÆ.
Missionis navales institutio.

inter terrestrium copiarum duces multus esset sermo de fructu, quem ex nostrorum ministeriis capiebat exercitus; venit in mentem summo armorum præfecto Ambrosio Spinula, futurum e Dei Regisque obsequio, si ejusdem generis operarii classarios quoque, turbamque nauticam comitarentur, & in navibus expeditionibus adjunctarent. Ea itaque de re sermonem intulit cum Isabel-la Belgii Gubernatrice, quæ consilium vehementer probans, edixit ne deinceps in regiam classem assumerentur sacrorum ministri, nisi quos designassent præpositi Societatis. Et quia per Apostolicæ Sedis privilegia jus habent Reges Hispaniarum constituendi quos velint castrorum classiumque suarum Parochos, curiali ut potestate nostri uterentur in classarios, & nautas decrevit. His ita constitutis, occasio novæ missionis experiendæ non abfuit diu. Accidit VIII. Cal. Februarii, ut Ostenda vela facerent quinque regiæ naves, referatæ milite, & omni bellico instrumento instructæ. Navibus impositi fuerunt Sacerdotes nostri ordinis quatuor: quorum quam fructuosus fuerit labor, tum in pugna, quæ statim cum Batavis pugnata est, tum in foeda tempestate, quæ totos viginti dies classem huc illucque jactavit, majus est quam ut explicari commode possit. Adstiterunt militibus nautisque Patres inter pericula utriusque discriminis: omnibus quam tempus poscebat opem præbuerunt, tanta, non modo charitate, verum etiam constantia & fortitudine, ut mirarentur virtutem vulgari multo majorem nautæ, & nostros, quibus fuerant initio infensiores, haberent postmodum in honore, ac prope in oculis ferrent. Sed hujus primæ missionis labor, etsi gravis, non ita tamen diuturnus fuit. Post quatuor menses altera suscipitur ejusdem generis expeditio, sed longior multo, & laboris periculique multo gravioris. Præfectus Belgicæ classis Ludovicus Oliveira, jussus in Hispaniam tendere cum sex majoris alvei navigiis, professionem indixerat nautis, militibusque classariis. Adfunt continuo de Societate sacerdotes diversarum linguarum septem: duo in prætoriam, quinque reliqui in naves totidem imponuntur. Dum navigandi opportunitas expectatur Mardiki, Patres epibatis & turbæ nauticæ suaserunt, ne se mari prius committerent, quam conscientiam confessione piaculari purgassent, neu in tanto vitæ periculo salutem quoque sempiternam discrimini objicerent. Placuit consilium. Expiati sunt ad unum omnes, & contra omnem casum audentiores alacrioresque facti. Obsidebant interea portus ostia Batavorum bellicæ naves tredecim in anchoris stantes, & regiis, simul ac progredi cœpissent, imminebant. Hostem ut fallerent Hispani, vela fecerunt circa dimidium noctis, incredibili celeritate ac silentio. Res tamen latere non potuit excubantem diu noctuque Batavum, præsertim quod una navium, ut fors tulit, in ipso portus exitu hæsit illis vadis; dumque eam moliri summa ope navarchus studet, facibus, & clamore fecit indicium. Protinus ergo, sublatis anchoris, accurrunt hostes lunato ordine: tormenta displodunt: a fronte, a latere regiam classem appetunt. Quandiu pugnam texerunt tenebra, certatum hinc inde majore strepitu, quam damno. Ast ubi illuxit, tunc enim vero atrox prælium exarsit. In tanta disparitate virium sustinuerunt impressionem regii adeo fortiter, ut tres hostium naves male multatæ e pugna media fuerint subducendæ, ne mergerentur. Regiarum unam, injectis arpagonibus, jam prope ceperant Batavi. Advolavit quæ a S. Ignatio nuncupabatur, prohibuit hostes ne in eam transsillerent, prædam recepit. Dirempta denique interventu noctis pugna, certior fit Oliveira, auxilio venire hostibus naves alias duodeviginti. Simul videt, non posse se quo cursum direxerat progredi, cadentibus ventis. Proras ergo dirigit ad proximum Angliæ littus, frustra insequentibus hostibus, in portum Dubiensem evadit. Eodem haud multo post appulerunt Batavi cum duodecim navibus, omnino certi, vel Hispanos honestis conditionibus ad deditio-nem pellicere, vel ex illa statione digredientes opprimere. Neutrum successit. Totos quinque menses in Britannico portu regii subsisterunt: quo tempore sæpe Batavus vim intentevit, semper cum ignominia repulsus est, donec me-

82.
Prima nostrorum expeditio navalis.

83.
Expeditio altera, ac primæ nostrorum curæ.

84.
Atrox pugna confertur cum Batavis.

85.
Classis Belgica evadit in Angliam.

medius adveniens Angliæ Rex, ut immunitatem portus, & jus asyli tueretur, ne quid ab alteris adversus alteros hostile fieret vetuit. Sed ad ea quæ nostri instituti sunt veniamus, quæque fuerint nostrorum per hoc tempus partes in regia classe, paucis expediamus.

Quoties dimicandum fuit, progrediebantur in mediam navim Patres, & coactos in modum concionis milites ad detestationem criminum prius, deinde ad fidem Deo ac Regi debitam incendebant. In ipso æstu certaminis inter milites discurrebant: faucibus cadentibusque absolutionem, et si quam aliam possent opem impertiebant. Extra belli casus, certas quotidie preces in communi obeundas curabant, atque ipsi cæteris verba præbant. Singulis diebus festis conciones habebant, & christianarum institutionum summam explicabant. Hæc publice. At privatim militibus nautisque permixti, nulla non die singulos ad pietatem cohortabantur. Insinuabant sese in eorum maxime familiaritatem, quos norant linguæ esse solutioris, cum iisque interdum, quasi fallendi temporis causa, ludebant duodecim scrupis. Has tamen condicebant ludi leges, ut si adversarii vicissent, munusculum a victo acciperent: sin vincerentur, caveant toto octiduo, ne quod proferrent verbum irreligiosum, aut turpe, certa constituta poena, quam contra facientes luerent. Præter hæc, cultum Deiparæ incredibili studio promovebant. Curaverant initio, ut in singulis navibus prostraret cum decenti ornatu imago illius, ad eamque de genu salutandam sæpius intra diem pulsu aris excitarentur omnes. Pietas in morem abiit: & notatum est, a prima luce usque ad meridiem nunquam fere defuisse, qui ante sacram effigiem supplex procumberet. His artibus, mirum quæ facta morum emendatio fuerit in hominibus rerum talium insuetis. Verborum obscenitas, execrationes, juramenta, jurgia, rixæque, familiaria militum ac nautarum mala, fere ex toto sublata. Mirabantur Duces, vigere inter arma religionis studia: tantam vero, ac tam novam inter milites temperantiam, pietatem, modestiam, satis admirari non poterant. At ejusmodi manipulos evangelici messorum sine magnis animi corporisque laboribus collegerunt. Quandiu fuerunt in statione Britannica, cum versarentur apud homines Romanæ fidei, & nostræ præsertim Societatis inimicissimos, multis exerciti sunt injuriis, ut æstimare pronum est. Inter navigandum, ea interdum laborarunt annonæ difficultate, ut aqua putris, panis mucidus, carnesque olidæ pro deliciis essent. Accessit agrotantium cura, quorum malis ærumnisque sublevandis Patres ita se devoverunt, ut nullam quietis partem caperent. Profitebantur postea plures militum nautarumque, se Patrum beneficio vivere. Alii Patrum unice respectu se retineri aiebant, ne classem desererent. Adde his pericula vitæ assidua, & sexcentas mortes, nunc ab immiti mari, nunc ab hostibus intentatas. Adde ad extremum unius cruentam mortem, de qua ita comperio. Quintum jam mensem hæserant naves in Dubiensi portu otiosæ: cum subito exorta tempestate propitia, visum navarchis posse declinari Batavorum occursum, & in Belgium tuto transmitti. Captata igitur nocte concubia, vela explicantur. At dum classis secundo vento in altum provehitur, prætoria, quæ omnium ultima discesserat, in hostes incidit. Expediuntur arma raptim, & quamvis una cum multis certare cogeretur, certamen suscipitur magno animo. Aderat in ea navi P. Franciscus Brayus, vir natione Hibernus, strenuus in paucis, & in missionibus castrensibus multum exercitatus. Is vocem contendere statim: omnium animos in ipso ardore pugnæ excitare, omnes ad rem bene fortiterque gerendam incendere, prælii quasi fax, atque anima. At dum huc illuc prælata Christi effigie discurrit, dum sui prope securus cæteris prospicit, concidit repente majoris tormenti globo discerptus. Ejus casu adeo collapsi sunt militum animi, ut igne in pulverem bellicum injecto navim incenderint: quippe tolerabilius rati perire interitu voluntario, quam hostibus se permittere. Deflagavit continuo cum horrifono fragore navis: non omnes tamen vectores absumpti sunt. Pauci in aerem longe jactati, & inde in aquam relapsi, ut fors tulit, in littus vivi

To. I.

R r r

fo-

86.
Acta nostrorum in regia classe.

87.
Eorum incommoda, labores, & pericula.

88.
P. Franciscus Brayus tormenti globo interfectus.

89.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Isembrantii.

90.
Hæretici ad
Ecclesiam re-
ducti.

91.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

92.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

93.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

94.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

95.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

96.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

97.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

98.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

99.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

100.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

101.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

102.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

103.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

104.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

105.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

106.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

107.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

108.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

109.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

110.
Præclara mors
eiusdem ado-
lescentis.

ospitesque enatarunt. Brayum, aliquanto prius quam hæc acciderent, præsen-
sisse divinitus esse sibi brevi moriendum, crediderunt multi, nec temere. Id
homini prænunciatum aiebant per visum a P. Joanne Isembrantio, qui haud
ita pridem decesserat Antuerpiæ. Credibilem vero faciebat rem Isembrantii
pietas non vulgaris, cujus toto Belgio fama volitabat. Ejus labores pro ani-
marum salute susceptos nemo explicare satis possit. Ter minimum intra heb-
domadam conciones habebat, nec scires utrum laboriosius, an fructuosius.
Quasi hoc ministerium satis non esset, eodem tempore pauperibus ægrotisque
consolandis, confessionibus audiendis, confutandis qua voce, qua scripto hæ-
reticis ita navabat operam, ac si non aliis occupationibus premeretur. Ex
omnibus religiosis virtutibus obedientiam colebat præcipue, notumque erat
apud domesticos, majoribus qualiacunque præcipientibus, nullam ex eo vocem
audiri, nisi hanc unam *libenter*. Tam promptum obediendi modum, ajunt, di-
vinitus comprobatum fuisse post ipsius mortem. Cum enim sarcophago fuisset
inclusus, prodiisse ex eo dicitur distincta & clara vox, ter idem verbum in-
geminans *libenter*. Cujus ostenti hæc fuit communis omnium interpretatio,
valde illi feliciter evenisse, quod majorum imperia excipere consuevisset, non
solum æquo animo, verum etiam libenti. Moriendi causam Isembrantius ex
charitate contraxit. Solitus nimirum omne ægrotorum genus promiscue adire,
ex unius contagione pestem hausit, quæ virum longiore vita dignissimum ex-
tinxit, anno atatis trigésimo sexto, inita Societatis decimo septimo.

Jam ut de rebus cæteris hoc anno gestis in Belgio pauca dicam, laboribus
sociorum maritimis terrestres non concesserunt. Brugis cum invenirentur Batavi
plures bello capti, ex iis amplius triginta Ecclesiæ subiecti sunt opera indu-
striaque nostrorum. Memorabilis in eo numero præ cunctis unus, quem Hol-
landi veluti patronum sectæ observabant, & in illud suum, quod vocant,
consilium seniorum allegerant. Non solum veritati cessit ipse, verum etiam
idem consilii per litteras persuadere conatus est uxori liberisque, nullam affir-
mans salutis spem extra catholicam Ecclesiam esse. Rescripserat uxor, ut statim
rediret domum: ubi rediisset, deliberaturos simul quid factu esset opus. Ve-
rum ille urbem execrans, in qua locus catholice religioni non esset, diserte
negavit se rediturum aliquando: malle videlicet inter orthodoxos vivere om-
nium inopem, quam cunctis vitæ commodis abundare inter hæreticos. Ypris
celebrata est multorum linguis præclara mors adolescentis, qui in scholis ejus
collegii educabatur. Natus annos haud amplius tredecim, eum attigerat vir-
tutis apicem, quem pauci admodum assequuntur provecta ætate. Laborabat
identidem calculis, & quamvis doloribus acerbissimis conflictaretur, hilari sem-
per & exporrecta fronte erat. Rogatus olim a præceptore suo, qui posset ani-
mo latus esse in tanto corporis cruciatu? vicissim quæsiit ex eo, an tristis
esse posset is, qui Dei frueretur amicitia? Pridie illorum dierum, quibus Eu-
charistiæ mysterium erat sumpturus, non aliam admittebat curam, nisi ut di-
vino hospiti quam mundissimum adornaret hospitium. Eo deinde sumpto,
diem reliquam meris religionibus conterebat. Quod si ad ludum, ut fit, ab
æqualibus invitaretur, his exprobrabat libere, quod talis sanctitatem diei jocis
ineptiisque corrumpere. Deiparam colebat in morem filii, nec eam fere alio
compellabat nomine, quam parentis. Corpusculum vel in tam tenera ætate
subjiciebat ciliciis, flagris, nodosisque funiculis circa latera adstrictis: ea cæ-
teroqui innocentia puer, ut cujuslibet impudicitie nomen ipsum nesciret.
Lethaliter ægrotus quærenti magistro, num quo teneretur desiderio vitæ longio-
ris? *Quid illuc, inquit, tibi venit in mentem, mi Pater? Me ne, Dei be-
nignitate jam proximum vitæ beatæ & immortalis, malle mortalem istam &
miseram diutius vivere?* Perrexitque de summo quod expectabat bono copio-
sius dicere, donec voce defectus, oculis in cælum intentis, extremum spiri-
tum duxit. Illatum cælo parentes crediderunt, eoque præreptum sibi, & hu-
jus vitæ periculis minus doluerunt.

Similia de pueris sæpe referunt omnium fere provinciarum litteræ annales. Veruntamen notant, fructus tam maturæ virtutis non alibi germinare consuevisse, quam in Marianis sodalitatibus, quas ubique plurimas Societas instituerat. Erant illæ sane veluti plantaria totidem, in quibus teneriores plantæ ad pietatem feliciter succrescebant. Quod cum usu ipso perspicerent nostri, sodalitatum numerum in annos singulos augere studebant. Tres hoc anno de novo institutas in Gallobelgica: Namurei unam pro pauperioribus filiis familias, qui litteris non darent operam: alteram Insulis pro civibus inferioris ordinis: tertiam Duaci pro opificum adolescentibus. Hæc brevi sodales amplius centum recensuit. Audomari florebat quam ubi maxime sodalitiū scholariorum: hoc autem anno tale præbuit religionis exemplum, quod civitatem admiratione defixit. Instabat dies, qua sacrum Christi corpus solemni ritu erat circumferendum per urbem. Pridie ejus diei progressi in publicum adolescentes ex nobilioribus, viam omnem, qua ducenda erat pompa, suis ipsi manibus everterunt, sordesque certatim efferendo mundarunt: cumque ob eam causam ab æqualium nonnullis procaciter irriderentur, eorum sannas dicteriaque spreverunt. Plus habuit admirationis apud Arienses exemplum pietatis a militibus editum, quippe in ejusmodi hominibus inusitatum prorsus, ac novum. In hanc urbem contracta fuerant ex magna parte copiæ ad Bredanam obsidionem evocata. Dum profectionis imperium opperiuntur, iis Patres collegii nostri persuaferunt, ut adversus incertæ expeditionis pericula munirent sese perceptione sacrorum. Accepta cum magno omnium assensu res, dies constituitur, qua cuncti simul ad sacram mensam accederent. Ea die itum est militari ordine, plusquam militari modestia ad ædem sacram, præeunte ex nostris uno, ac Christi crucifixi signum, quod christianæ militiæ primum vexillum est, præferente. Aderat spectaculo omnium ordinum multitudo promiscua, hærebantque omnes attoniti novitate exempli, ejus nihil simile se vidisse meminerant inter milites. Eiusdem generis multa sunt in litteris hujus anni, quæ in annales referri sine legentium fastidio non possent: eoque narrari minus debent, quod res tunc quidem ob novitatem notabiles, nunc usu ubique receptæ vix attenduntur. His igitur prætermisissis, ad alia progredior. Delectus militum habebatur Bethuniæ, erantque jam sub signis aliquot tironum centuriæ, & ad usitata castrorum officia exercebantur. Accidit ut militem adhuc rudem, minusque compositæ moventem sese aliqui civium deriderent, ac petulanti dicacitate incesserent. Ea res, ut facile accenduntur animi, rixam ingentem movit. Milites convicium non ferentes, obvertunt arma. Conglobantur ex adverso cives fiducia numeri, quo multum prævalebant. Centurio, cujus erat continere suos ne quid hostile inciperent, irruit in populum districto ferro, & hominem rusticanum convicium militi facientem peremit. Tum vero atrox exarsit incendium. Diffunditur tota urbe rumor, grassari milites in populum. Clauduntur tabernæ, vocantur ad arma cives e turri summa, omnia tumultu & apparatu bellico perstrepunt. Abdiderat se auctor cædis in vicinam domum, ad ejusque defensionem stabant in armis milites. Cives contra magno ruebant agmine, ulturi indignum facinus sanguine intersectoris. Nihil aberat propius, quam ut lis ferro decerneretur. In tanto discrimine, cum silerent ii, quorum erat curam publicæ tranquillitatis suscipere, unus in medium processit rector collegii nostri P. Ægidius Bucherius, ac se furenti populo objecit. Rogabat per quidquid sanctum ubique est, ut quiescerent, ut ab armis discederent. Negante populo se facturum, nisi scelestum homicidam haberet in potestate, & nomen Consulium obtendente, adiit recta Consules, seditionis damna, calamitatem publicæ rei, Regis offensionem demonstravit eloquentia tanta, ut moti oratione Consules prodierint denique ad concitatam multitudinem, & seditionem auctoritate compresserint. Agnovit beneficium civitas, quodque civili sanguini fuerit parcatum, id nostri hominis solertiæ acceptum retulit. Sed jam a rebus Belgicis gradum ad Anglicas faciamus.

To. I.

Rrr 2

Ac

92.
RES GALLO-
BELGICÆ.
Sodalitiorum
institutiō mul-
tiplex, & eo-
rum fructus.

93.
Exemplum pie-
tatis a militibus
editum Ariæ.

94.
Bethuniæ atrox
seditio a nostris
componitur.

95.
RES ANGLI-
CANÆ.
Ortus tirocinii
Watenensis.

96.
Ejusdem usus
perdu amplia-
tur, & quare.

97.
Fundatur
collegium Leo-
dientē.

Ac primo quidem, ut in ipso Belgio Societas Anglicana Watenense tirocinium, & Leodiense collegium adeptæ sit, quam brevissime expediendum. Sicut est oppidum Watenense in planitie montis, qui medius eminet inter Gravelinam & Casletum, e regione Angliæ, cœloque utitur saluberrimo. Anglis adolescentibus aptissima videbatur sedes, propterea quod ab ipsorum navio solo vix differat. Distat Audomaro millia passuum haud amplius quinque, qua in urbe cum inveniretur celebre illud juventutis Anglicanæ seminarium, unde plures ad nos alumni quotannis transire solebant, ob hanc etiam commoditatem multa erat apud nos deliberatio de tirocinio Anglicanæ Societatis constituendo Watenis. Jam ante exequendi consilii ratio oblata fuerat, quæ melior optari vix poterat. Erat Watenis pervetus monasterium, ex quo Episcopus Audomarensis censum per amplum percipiebat hac conditione, ut in eo octo minimum religiosos de suo aleret cujuscunque vellet ordinis. Id namque ita fieri constituerat S. Pius V. Pontifex, cujus beneficio monasterium illud a Canonicis Augustinianis translatum fuerat ad Ecclesiam Audomarensis. Conditio per plures annos abierat in desuetudinem, reventibus Episcopis monasterii ædificium, quod hæretici incendio absumperant, instaurare. At assumptus cum fuisset ad insulas Audomarenses ex Minorum familia Joannes Blæus, vir nunquam satis laudandus, simul atque adiit episcopatum, cogitare secum cœpit, qua ratione reædificari possent Watenis ædes incensæ, in easque familia religiosorum restitui. Hæc reputans, audit quæri a Societate Anglicana locum tirocinio, & paratam esse pecuniæ non levem summam, olim in hunc usum legatam ab Hispana virgine Ludovica Caravaglia, cujus æque nota pietas, ac nobilitas. Visum optimo Antistiti ex Dei obsequio fore, si quod alendis religiosis admodum paucis impendi oportebat, adjungeretur illi summa, & ad levandas Anglorum calamitates converteretur, collocata Watenis ea familia, ex qua prodituri subinde essent in Angliam evangelici operarii insignes, & catholica veritatis fortissimi assertores. Ne multa. Communicata ratione consilii sui cum Romano Pontifice, veniam petit addicendi Anglicano Societatis tirocinio fundos monasterii Watenensis. Responderat ad vota Pontifex Paulus V., quin Episcopi consilium valde laudaverat. Verum quia in litteris Pontificiis mentio fiebat operæ, quam Societatis tirones suo tempore navaturi essent Angliæ, litterarum notitiam affectus legatus Anglicus, qui Bruxellis degebat, egit cum Alberto Aufriaco Belgii principe, ne rem perfici sineret, causas obtendens graves, & in speciem honestas. Ea deprecatione conturbatus Archidux, negotium ampliabat. Non tamen ab incepto Blæus destitit. Novas curavit a Pontifice litteras, quibus potestas eadem faciendæ quam dixi permutationis tribuebatur, tacito Anglorum & Angliæ nomine, omnique sublata causâ querelarum ex parte oratoris Britannici. Tunc enimvero rem probavit Albertus, & copiam Pontificiæ diplomatis exequendi fecit. Sed quamquam traderetur jam tum Societati domus Watenensis ex magna parte instaurata, cautumque esset ut Anglicanis duntaxat tironibus usui esset, quod tamen optabatur ut in eam tirones e Leodiensi collegio immigrarent, id variis subnascentibus causis effici nunquam potuit, nisi post obitum Alberti Archiducis, quo sublato, Isabella Clara Eugenia pleno jure in Belgio dominans, liberum ejus rei arbitrium Societati permisit. Ita demum hoc excurrente anno tirones Watenas deducti sunt.

Iis Leodio amotis, cum vacua relinqueretur domus quam hætenus habitaverant, visum in ea posse constitui collegium Anglicanæ provinciæ maximum, ubi juventus nostra altioribus disciplinis erudiretur. Ac domus quidem familiam non exiguam capiebat. Favente enim ceptis Ferdinando a Bavaria Septemviro Coloniensi, Leodiique antistite, extructa fuerat fortasse amplior, quam modus tirocinii posceret. At in expedienda collegii dote difficultas præcipua vertebat, cum solummodo iis, qui theologiam condiscabant Lovanii, certum esset constitutum vectigal, deesset autem unde alii sustentari possent

alum-

alumni philosophicis studiis operaturi. Huic incommodo occursum est liberalitate viri cujusdam pii, qui & census ad eam rem necessarios obtulit, & nomen prodi suum noluit. Sic ergo cum deesse videretur nihil, omnes pariter nostri juvenes, theologi philosophique, commigrare Leodium sunt jussi, ut ibi gravioribus studiis informarentur, & ad refellendas Anglorum hæreses exercerentur. At, quæ erat conditio temporum, collegium haud multo post suis proventibus destitutum est, ejus vero alumni ad extremam inopiam adacti locum deserere cogebantur, nisi rem labantem patronus munificentissimus sustentasset. Florebat tunc non minus bellica laude, quam eximio religionis studio Baviaræ Dux Maximilianus, S. R. I. Elector jam salutatus: ac præter hereditariam in nostrum ordinem beneficentiam, quam intra fines ditionis suæ explicabat, tuendos etiam fovendosque susceperat socios in missione Anglicæ laborantes. Is cum audisset de angustia rei familiaris, qua collegium Leodiense premebatur, ne consideret opus tam provide ad salutem Angliæ institutum, pensionem illi annuam de suo liberaliter assignavit. Et quia arario utebatur ob temporum difficultatem pene exhausto, nihil dubitavit versuram interea facere, ut pensionem promissam solveret. Neque hic se continuit Principis amantissimi liberalitas. Aliquot jam annos vivebat in sterili matrimonio cum Elisabetha Lotharinga, Deoque pridem voverat, si precibus B. Ignatii virilem prolem suscepisset, nato filio facturum Ignatio nomen, & collegium Societati fundaturum ubicunque Præposito Generali placuisset. Jam vero cum videret, attributa pensione revixisse quodammodo collegium Leodiense, anno sequenti, qui fuit sæculi vigesimus sextus, dotem illi addere perpetuam statuit, & quidem tantam, ut fundati ex integro collegii titulum promereretur. Obstabant angustia ararii, ne necessariam summam repræsentaret statim. Ipse se, & hæredes quam arctissimis fidei vinculis obstrinxit, ut donec ea summa vel numerato, vel æstimatione solveretur, acciperent Patres ejusdem quinas centesimas in annos singulos. Usque adeo cordi fuit optimo Principi, ne quo casu minueretur collegio Leodiensi fructus benignitatis, quam illi impendere constituerat. Nondum cum hæc agebat optata sobole erat potitus: sed prævertere obsequio voluit beneficium, quod a B. Parente Ignatio certissime expectabat. Nec vero commisit Ignatius, ut illum poeniteret suæ erga nos voluntatis. Sexagesimum vitæ annum egressus, ea prorsus ætate, quæ procreanda soboli minus videbatur idonea, liberos suscepit duos ex Marianna Austriaca Ferdinandi III. Caesaris sorore, ac filio natu majori, uti voverat, nomen Ignatii indidit. Princeps, cum universæ Societati, tum præsertim Patribus Anglis æterna cum laude memorandus, ejus insigni beneficentiæ debet illa provincia quod habet unicum litterarum virtutisque gymnasium, ubi nunquam hætenus pro messe Anglicana operariorum supplementa defuerunt.

Sed ut ad annum, de quo modo nobis sermo est, redeamus, recruduit hoc tempore acerbitas Puritanorum in Anglia contra Catholicos, nostrisque in eo solo defudantibus novas curas iniecit. Solutis enim sponsalibus, quæ Carolus Walliæ Princeps cum sorore Regis Hispaniarum contraxerat, non solum rescissa sunt quæ Rex Jacobus inter cætera matrimonii pacta promiserat de Catholicorum impunitate, verum etiam novæ in conventu ordinum promulgatæ leges, quæ si effectum haberent, nullus in Anglia locus rei catholice relinquebatur. Profuit non nihil, quod eodem tempore Jacobus aliam matrimonii conditionem querebat in Gallia, agebatque ut filio suo nuberet Henriqueta Regis christianissimi soror, quod re ipsa post biennium perfecit. Hujus quidem certe affinitatis respectu, comprimendas paululum curavit immites leges, & fidem Gallico oratori dedit, non passurum se gravius quidquam statui contra Catholicos. Verum hæc benignitas eo tantum pertinuit, ut innocentium sanguini parceretur. Cæterum præfectis provinciarum injunxit, ut quæstiones nihilo segnius exercerent, exigerentque constitutas contra Catholicos poenas, capitalibus duntaxat exceptis. Quibus jussa facientibus, Romani fa-

97.
si multo
est in
quædam
est

98.
Maximiliani
Baviaræ Ducis
liberalitas erga
illud.

99.
Ejusdem vo-
tum, & nova
erga collegium
beneficentia.

100.
Duos suscipit
liberos opæ S.
Ignatii.

101.
Ingravescit in
Anglia perfe-
cutio contra Ca-
tholicos.

102.
Nostrorum la-
bores & res ge-
stæ hoc tempo-
re.

Cultus sacro-
rum sacro-
rum mirabili ostento
comprobatus.

104.
Mors & elo-
gium P. Thomæ
Stephensoni.

cerdotes, eorumque hospites, præsertim ditiores, durius sunt habiti. Multi spoliati bonis, multi in carcerem rapti ex iis, qui in formulam sacramenti ante septendecim annos præscriptam jurare noluerunt. Affuerunt periclitantibus nostri, ne metu, aut molestiarum impatientia subverterentur. Erant inter ipsos Catholicos qui sentirent, docerentque, formulam illam juramenti, etiam si ab Romano Pontifice damnatam, posse recipi religione salva. Hanc nostri opinionem pluribus exemerunt. Nec in reducendis hæreticis, utcumque tempore, tam adverso, defudatum frustra. Quadringentos, & si quid amplius, hoc ipso anno catholicis adjunxit opera industriaque nostrorum. Catholicorum vero, qui in veritate sunt confirmati, numerum nemo recensuit. Fuerunt etiam ex his aliqui, non intimo tantum afflatu Numinis, sed & externis signorum ostentis ad sectandam pietatem impulsæ. Exemplo sit quod subjicio. Mulier nobilis in agro Londinensi audierat unum quemdam ex nostris de cultu sacrarum reliquiarum pro concione dicentem, notaveratque narratam ab illo historiam de viro nescio quo religioso, quem refert Casarius thecam sacrarum reliquiarum gestare solitum, mirifico ejus pulsu interdum fuisse monitum, ut suborientes libidinis motus comprimeret. Exemplo permota, ut sunt mulieres, gestare post hæc appensum collo cœperat ænea inclusum theca agnum cereum, solemnè Pontificis maximi prece consecratum, credo, simile quiddam sperans eventurum sibi. Ecce autem post paucos dies afferuntur ad eam procaces litteræ, quibus ab impuro amatore ad flagitium provocabatur. Dum labascit misera, ambigitque quid sibi faciendum putet, tinnire repente hærens pectori cereus, & cujusdam quasi campanulæ sonum reddere. Conterrita monstro mulier, sacerdotem Societatis, quo utebatur a confessionibus, adit prope: narrat quæ acciderint, rem ita esse jurejurando confirmat. Obstupuit sacerdos: tamen dubium relinquens an fidem narranti haberet, tantum mulierem docuit, qua ratione nefarias amasii insidias deinceps eluderet. Aliquot abierant dies, cum ecce iterum pellacibus codicillis laceffitur ab eodem juvene: Nihil illa voluit minus, quam improbo consentire. Parabat tamen rescribere, & fortasse officiosius, quam deceret fortem & pudicam feminam. At calamum vix bene strinxerat, cum audiri iterum tinniens circa pectus theca. Agnovit Dei momentis vocem femina parum cauta, pestilentes litteras igni tradidit, ac momento eodem mirificus ille sonus denuo conticuit. Tertio audiri cœperat post breve temporis intervallum, cum sola versaretur in suo conclavi, cum occasio peccandi subesset nulla. Atque hic enimvero angi mulier, quidve tali signo portenderetur quæreret. Dum respicit se diligentius, & conscientiam recognoscit, quasdam deprehendit retroactæ vitæ labe, quas nunquam piaculari confessione purgaverat, simulque hoc sibi velle coeleste monitum sensit. Noxas ergo omnes a prima usque ætate repetitas rite confessas est: nec ex eo tempore sonum illum amplius exaudiit. Scio futuros, qui in hoc eventu putent aliquid subesse ludibrii potuisse. Multa sane imaginantur mulieres, multa sibi fingit conscientia, multa demum emota mens audit, & videt, quæ nulla interdum sunt. Veruntamen, etiam si ita esset, non una sunt gratiæ coelestis viæ, nec ideo minus singulare Numinis beneficium, quo effectum ut bene verteret qualiscunque error, & salutis æternæ viam erranti aperiret.

Eodem interea anno desideravit provincia Anglicana operarium multis rebus gestis illustrem, & de re communi optime meritum, P. Thomam Stephensonum, de quo hæc memoriæ sunt prodita. Parentibus catholicis natus in provincia Windletonia, & adhuc adolescens missus in Galliam, humanas divinasque litteras in Rhemensis Anglorum seminario didicerat. Romam inde profectus est, ubi cum fuisset sacerdotio consecratus, rediit in patriam auctoribus Guillelmo Alano Cardinali, & Roberto Personio, qui virum strenuum & prudentem perspexerant. Ibi vixdum anno vertente comprehenditur, & in Londinensem turrin conjicitur, ex qua productus ad judicum tribunal, ostendit quantum veritas mendacio, quantum astutiæ & fraudibus simplicitas evan-
geli-

gelica præstet. Mirati sunt iudices responforum gravitatem, sed respondentis induciam & libertatem, quam debuérant amare ac munerari, condemnarunt. Itaque in angulum tenebricosi & olidi carceris dejectus est, oneratus ferro, per diu inedia ac siti tortus. Cum interea quotidiana Sacerdotum mortes, quos publica vox optimos eruditissimosque testabatur, magnam Elisabethæ conflarent invidiam, hanc ut placaret Regina, Sacerdotes aliquos passa est exulare, in quibus Stephensonus fuit. Reversum in Galliam amici veteres vix agnovere, quippe longa confectum macie, & sævis articulorum capitisque doloribus fractum. Non terruerunt tamen generosum pugilem hæc apostolicæ patientiæ rudimenta, quin accenderent potius, ut quod conceperat in ergastulo votum, ineunda Societatis, exequi maturaret. In eam post datum virtutis tam insigne specimen libenter acceptus, tirocinium posuit Brunæ in Moravia: cumque aliquot annos Olomucii, ac Pragæ studendo docendoque consumpsisset, atque hinc Romam esset reversus, teneri non potuit, quin patriæ solum, etsi inimicum, reviseret. In eo per viginti annos partes implevit, non minus generosi militis, quam ducis ad errorem profligandum periti, donec ætate debilitatus receptui cecinit, & Watenis in Belgio laureatam senectutem deposuit 1x. Cal. Apriles, anno ætatis septuagesimo secundo. Atque hæc de rebus Anglicis. Jam stilum transferamus in Galliam.

Augustoduni in provincia Campaniæ Sacerdos fuit gravis annis, & Parochi ministerio diu functus, qui magicæ artis, ac multorum maleficiorum accusatus, convictusque, ad supplicium erat propediem producendus. Cum pernegaret præfracte multa, quæ sciri certo & explicite intererat publicæ rei, atque ea præsertim quæ deliquerat in administratione sacrorum, submittitur ad eum publica auctoritate unus nostrorum, ut hominis contumaciam emolliat, & si qua possit, eliciat confessionem ingenuam veritatis. Res, ut videbatur, difficilis successit ad votum, nisi quod plus multo de se prodidit reus, quam quærebatur. Narravit, annos omnino duodecim nunquam se mysteriorum cæremônias exercuisse eo animo, ut faceret quod institutum fuit a Christo, sed tantum ut externa specie religionis falleret populum. Itaque nec vere sacris operatum esse umquam, nec quemquam vero baptismo initiassè, nec in foro poenitentis beneficium impertiri cuiquam voluisse. Addidit, denunciatum sibi olim fuisse sub atrocissimis minis a malo dæmone, ne quid horum proderet ullo tempore. Quin, subiecit, aderat ipse nunc humana specie conspicuus, & malum mihi intentabat, si pacti fidem frangerem: sed evanuit furcifer, simul ac ingressus in carcerem Jesuita hoc me donavit munusculo. Quæ cum diceret, exprompsit agnum cereum ex iis, quos Romani Pontifices certa comprecatione sacrare solent, ut contra præstigias dæmonum præsidio sint. Id enim noster Sacerdos illi habendum obtulerat. Aderant dum ita loquebatur multi. Nemo fuit, qui non tanta flagitiorum immanitate cohorresceret: nemo item, qui non multum delectaretur piis lacrymis, quas ubertim fundebat, aliisque animi poenitentis indicis, quæ præ se ultro ferebat. Dolentem erexit noster Sacerdos spe veniæ, & vitæ melioris fiducia, adfuitque misero usque ad patibulum consolator, qui auctor veritatis aperiendæ fuerat. Curæ deinde fuit ecclesiasticis magistratibus, ut quoscunque ille irrito baptismo tinxerat, aut consentientes audierat, ii a suis quisque sacerdotibus rite initiarentur, ac denuo auditi pro confessione legitime absolverentur. Dum hæc ibi gerebantur, Catalauni diem clausit extremum Episcopus ejus urbis Cosinus Clauffe, quem merito Patres collegii Catalaunensis ut fundatorem, & parentem suum amantissimum diligebant, atque observabant. Morti proximus id unice querebatur optimus Præsul, auferri sibi potestatem collegii, ut optaverat, amplificandi: quod vero impensæ in eo stabiliendo fecerat, id sibi nunc bene moriendi spem, & vitæ melioris expectationem ingentem infundere affirmabat. Adeo sibi persuaserat, eo in opere divinum obsequium, utilitatemque publicam contineri. Animam efflavit inter manus nostrorum, habuitque in episcopat

105.
RES CAMPANIÆ
Damaunus
capite sacerdos
ad confessionem
adducitur.

106.
Virtus sacra-
tærei contra ma-
lum dæmonem.

107.
Episcopi mo-
rientis sensus de
collegio nobis
fundato.

108.
Mors Henrici
II. Lotharingæ
Ducis.

109.
B. Petrus Forerius
vultur no-
stris ad instaurandam
sui ordinis disciplinam.

110.
Desiderius
le Cur reformandum
monasterium Vitonianum.

111.
Duo ex nostris
illum consilio
adjuvant.

patu successorem, & suæ erga nos benevolentia hæredem Henricum Clauffe fratris filium, cujus presentia recreati Patres, ademptum sibi conditorem suum mitius doluerunt. Eodem anno, atque ipsa die B. P. Ignatii anniversaria, decessit Henricus Lotharingæ Dux hujus nominis secundus, Princeps quam qui maxime religiosus, & de nostro ordine egregie meritus, quo regnante, (regnavit autem annos duntaxat sexdecim) duobus in Lotharingica ditone collegiis Societas aucta fuit, Barloduensi, & Nancejano. Sub idem tempus eximius ille Dei famulus, qui nuper Beatorum honoribus est decoratus, Petrus Forerius, cum vellet ad antiquæ disciplinæ formam revocare Canonicos Augustinianos in Lotharingia, nostrorum hominum ministerium in partem difficillimi operis advocavit. Ac primo quidem in re tantæ molis deliberanda, consiliis uti voluit nostri Sacerdotis, cujus perspectam habebat probitatem atque prudentiam. Tum, prius quam aliud moliretur, eidem se tradidit sacris B. Ignatii commentationibus exercendum cum cæteris, quos ejusdem propositi participes habebat. Cujus utilitatem rei expertus, hanc sibi postremo imposuit veluti legem, ut nec ad tirocinium, nec ad professionem quemquam admitteret, qui non ab eodem probatus rite, & sanctioris vitæ præceptis preparatus fuisset. Equidem scio, hæc in vita beati viri Gallice scripta non legi. Sed si studio brevitatis, si alia quacunque causa scriptor omiserit, hæc certe scribebat hoc ipso anno ad generalem Præpositum P. Stephanus Binetus Campaniæ Præpositus provincialis, cujus fides nemini, quantum existimo, suspecta esse debeat.

Multo tamen iniquius nobiscum egit quisquis ille est, qui historiam edidit Vitonianæ Congregationis reformatæ, Tulli Leucorum impressam. Non id satis habuit scriptor amarulentus ut silentio tegeter, quantum ad instaurandam in ea familia disciplinam Societas nostra contulerit, verum etiam nonnulla de nobis invidiosius scripsit, in quibus est emendandus. Juvat proinde rem totam a suis initiis repetitam paucis complecti, cum præsertim necesse non sit excurrere longius extra ordinem temporum in eo negotio, quod ante aliquot annos cœptum, ad hæc usque tempora deductum est. Desiderius le Cur Abbas monasterii Viridunensis, cui a S. Vitono nomen, ordinis Benedictini, vir præcæ severitatis, & institutorum suorum retinentissimus, cum ferre dissimulanter non posset solutiores monachorum suorum mores, nec forte eos existimaret ad religiosam vitæ normam posse ullo modo restitui, secesserat in ruralem domum eo consilio, ut deinceps uni sibi ac Deo viveret nemine interpellante. Propositum hominis, utcumque ex bona mente profectum, haud satis probaverunt duo Patres Societatis, Henricus Toronce, & Carolus a Turri, quibus Lecurius amicissimis, & omnium arcanorum arbitris utebatur. Negantes ad ejus indolem facere solitudinem, ac vitæ genus otiosum, auctores ei fuerunt, ut siquidem inter sui dissimiles monachos vivere non sustineret, transiret potius ad sacrum ordinem Minimorum, habiturus in eo quam quærebat severioris vitæ copiam, citra pericula solitudinis. Quod consilium accipiens Lecurius, inter Minimos se recepit. Sed virum talem Deus ad altiora destinaverat, quam ut eum sineret otiosum delitescere intra claustra, & religiosam quiete perfrui. Pœnituit brevi Lecurium instituti non sui. Mentem reflexit retro, & desertis Minimis, rediit ad Benedictinos. Hic illum duo quos dixi Patres magnopere hortari, ut quod sæpe mente conceperat de instauranda sui monasterii disciplina, aliquando aggrediretur. Ne difficultate operis absterreretur, monstrabant rei gerendæ viam facilem, & expeditam. Nec enim, ajebant, postulandum, ut monachi a longo tempore laxius haberi soliti, & consuetudine ipsa vitæ liberioris impunitatem adepti, coerceri statim velint in formam primæ severitatis. Remittendum aliquid de rigore antiqui moris: mitiores præscribendæ leges, quæ servari possint facilius. Id si fiat, jugum minus ægre subibunt monachi, ac diutius ferent. Sin vero rigidioris vitæ forma inducatur, ea sectatores aut nunquam habebit, aut certe non diu. Hæc illi, nec

ut arbitror, imprudenter. Quæ tamen perperam interpretatus historia, quam supra nominavi, scriptor, ideo obstitisse Toroncium & Turrium, ait, ne vir ille sanctissimus ad primam ordinis formam restitueret familiam Vitonianam, quia secuti mollitudinem instituti sui, ad suam imbecillitatem accommodare leges S. Benedicti maluerunt. Hæc profecto nec vere dici, nec sine Societatis injuria potuerunt. Quid spectarent in eo negotio nostri, dictum est supra. Addo nunc, qua fide consilium amico dederant, eadem operam quoque suam ad consilium exequendum contulisse. Non ferebant veteres monachi, vel minimum, adduci legum vincula jamdiu soluta per defuetudinem; eaque propter una superesse videbatur rei conficiendæ ratio, ut delecti juvenes deinceps in ordinem cooptarentur, & ab ipso tirocinii initio instituerentur ad illum arctioris disciplinæ modum, quem Lecurius descripserat, & in mores inducere constituerat. Hujus curæ partem maximam in se receperunt Toroncius, & Turrius. Ipsi bonæ indolis adolescentes, qui novi tirocinii fundamenta jacerent, magno studio conquisiverunt: ipsi inventos, probatosque, cum apud se, tum etiam ad S. Vitoni piis exercitationibus excolendos sumpserunt. Ventitabant tertio quoque die in monasterium, novitios peccata confitentes audiebant, de animæ statu consulentibus responsa dabant, omnes tum privatim, tum publice ad perfectioris vitæ studia excitabant. Quantum inde confectum sit, nihil attinet exequi pluribus. Brevi temporis intervallo monasterium Vitonianum studio pietatis celebrari passim, ac cæteris ad imitandum proponi cœpit. Tum late diffuso exempli odore, ad ejus se normam composuerunt plura ejusdem ordinis monasteria: quibus in unum quasi corpus coeuntibus, conflata demum est quæ modo dicitur Congregatio S. Vitoni. Atque hæc summa rei, in qua noster historicus multa carpit, multa aut dissimulat, aut corrumpit, quæ cæteroqui ego parum aut nihil moror. Unum præterire non possum, quod ait visos Jesuitas parum bona fide agere cum P. Lecurio, idque propter duo pingua sacerdotia, quæ vir venerabilis, ne cœpta instauratio pessum iret, coactus est Societati relinquere, & alienæ, ut ejus verbis utar, cupiditati sacrificare. Inde, addit, multum fuisse detractum de fiducia, quam in nostris hominibus Lecurius reposuerat: inde fructum operæ per hos impensæ retardari cœpisse. Nihil dici potuit a veritate alienius. Nam quod attinet ad sacerdotium S. Martini prope Longovichium, istud multo ante quam de reformando cœnobio Vitoniano ageretur, collegio Virdunensi addixerat ejus urbis antistes Henricus a Lotharingia, tunc Vitoniensis Abbas, ut loquimur, commendatarius. Et vero accesserat monachorum, quibus obnoxium erat, assensus, ac traditionem Clemens VIII. Pontificio diplomate confirmaverat. Sacerdotium vero alterum, de quo unice sermo esse potest, a S. Laurentio Fontis calidi nuncupatum, ita acceperunt Rhemenfis collegii Patres ab eodem Episcopo Virdunensi, ut id præcipue debuerint Nicolao Henarto sacerdotii possessori, qui cum Societatem ingrederetur, illud ad nos transferendum curavit. Porro Lecurius, prius etiam quam Henarto venisset in mentem de ineunda Societate, Episcopo cesserat quod in sacerdotium istud habebat juris, nec poterat jam alienæ sacrificare, cupiditati rem, quam ultro abdicaverat. Quod si Societas non repudiavit oblata per legitimas potestates ad usum vitæ bonæ, quid tandem commisit, unde immodicæ cupiditatis notam contraheret? Ob eam certe causam Lecurius, nec a nobis est alienatus, nec ullam suspicionem de bona nostrorum fide sumpsit, sed perrexit nihil minus quam antea eorum opera & consiliis uti usque ad extremum: nec monachi, quamdiu ille vixit, nobis ea sacerdotia possidentibus litem moverunt, aut quidpiam molestiæ exhibuerunt. Post obitum ipsius, scripserunt illi quidem collegio Rhemenfi dicam de Prioratu Fontiscalidi, quem minus legitime a nobis possideri contendebant. Itum proinde est in judicium. At disceptata diu Parisiis in sanctiore Regis consilio causa, jus possessionis valuit, fuitque nobis adjudicata res judicum consensu tanto, ut in toto consilio, eoque frequentissimo, unus tantummodo secundum petitores sententiam

T. I.

S s s

tule-

112.

Acerbitas cu-
jusdam scripto-
ris contra nos
in his referen-
dis.

113.

Aliæ scriptoris
ejusdem calum-
niæ.

114.

De quadam li-
te nobis a Mo-
nachis Vitonia-
nis intentata.

115.
Res Lugdu-
NENSES.
Domus profes-
sorum erigitur
Gratianopoli.

116.
Labores soci-
orum in variis
provinciae par-
tibus.

117.
Divinae ani-
madversio-
nis exem-
plum in
contemptores
religionis.

118.
Mors & clo-
gium P. Timo-
thæi Rongerii.

tulerit. Ex quo licet conjecturam facere, quam bono jure sacerdotium illud possideremus. Sed de provincia Campaniæ satis.

In Lugdunensi dedit hic annus novam Societati domum professorum Gratianopoli, quæ tamen decursu temporis certis de causis in collegium est versa. Erat civitas Gratianopolitana nostri nominis adeo studiosa, ut jamdiu concionatores sumere non soleret nisi de Societate. Novissime, quamquam fundandi collegii facultatem non haberet, ultro jus domiciliis nostris a Rege impetraverat, & domum aptam obtulerat. Domum istam, nullo licet certo proventu dotatam, habitare statim cœperant aliqui Patrum: qui cum post biennium, probe viderent civium erga se beneficentiam in dies crescere, spe certa ducti nunquam mendicantibus defuturum unde viverent, Mutio Generali persuaserunt, ut siquidem domicilium Gratianopolitanum non poterat in collegii formulam redigi, in eo saltem domum Professorum constitui juberet. Non agre adductus est Mutius ut postulatis annueret: atque exinde quæcunque in domibus professorum ubique Societas solet, etiam Gratianopoli obiri cœperunt. Non dicam hic, quanto gaudio exceptum id omne fuerit ab amantissima civitate. Quod magis est, hæreticorum ferme quinquaginta cum Ecclesia conciliati, primordia novæ domus illustriora fecerunt. In aliis interea provinciæ locis utiliter defudatum est. Ucetiam missi duo nostrorum, heterodoxos triginta Christo lucrati sunt. Felicius rem gessit sacerdos unus Pillæ, quod oppidum est juris Pontificii in ditone Avenionensi. Erant eo in oppido familiæ duodecim Calvino pertinaciter addictæ, quæ palam & impune sectam colebant: nec operæ est dicere, cur magistratus contra illas non agerent legibus. Quæcunque esset causa, nisi contumaces sponte cederent veritati, nulla suppetebat ratio purgandi ab indigna labe oppidum apprime catholicum. Quod ergo experientia constabat sæpe alibi profuisse, Pillam immittitur operarius Societatis. Is monendo, hortandoque, calvinianos ita commovit, ut intra duos menses respuerint ad unum omnes, seque ultro catholicis aggregaverint. Neomagi degere nuper cœperant nostri, non tamen ut in domicilio stabili, sed tanquam in hospicio temporis paulo longioris. Dum conciones habent ad populum, oppidanis quatuor supra sexaginta persuasum est, ut Calvinum desererent: quod gregales factum putantes pastorum suorum inscitia scordiaque, doctiores alios magno sumptu evocandos statuerunt. Ibidem hæretici suo didicere periculo, quam non modo impium, verum etiam periculosum sit ritus catholicorum & sacra contemnere. Indixerant nostri supplicationem horarum quadraginta in urbis ade primaria, curaverantque ornatu quam posset apparatusimo peragendam, ut pompa ipsa exterior oculis vulgi speciem catholicæ religionis offunderet. Per hanc occasionem, circumvecta est cum insigni celebritate sacrosancta hostia, præeuntibus, uti solet, longis supplicantium ordinibus. Calviniani, qui frequentes aderant, conticuerunt aliquandiu admiratione defixi. At incitati postmodum ministrorum suorum vel exemplo, vel etiam voce, ridere omnem illam religionem, de sacro mysterio impie ac scelerate loqui: non tamen impune. Detegitur postridie pestilens Neomagi febris, quæ cunctas Hugonotarum familias celeriter pervagata, brevi spatio multas funeribus, reliquas metu complevit; sectæ vero principes absumpsit omnes intra spatium dierum octo. Apertius erat coelestium irarum indicium, quam ut dubitare possent hæretici, poenas exigi contemptæ religionis. Adeunt itaque nostros anxii, rogant, ut ad pacem superum exorandam lustrare urbem denuo, ac piam supplicationem iterare ne graventur. Placuit ita fieri. Iterum ducta est per oppidum sacra pompa, eodemque fere tempore quoscunque febris affligerat, ii præter spem & opinionem omnium convaluerunt.

Inter hæc laborum suorum mercedem sunt consecuti P. Timotheus Rongerius, & Fr. Jacobus Pauleus, duo viri ob sanctimoniam opinionem spectabiles, nec sine luctu sociorum Lugdunensium elati. Ad Societatem venerat Rongerius annos natus triginta sex, exegeratque in ea triginta quatuor. Ejus lau-

dabant præcipue in regendis conscientiiis dexteritatem, peritiamque plane singularem, qua ad perfectionem christianæ virtutis quam plurimos provehebat. Ad vitæ noxas expiandas, optaverat morbo atteri molestissimo. Voti compos est factus. Extremos enim quindecim vitæ annos, ut erat affecta valetudine, nunquam ab angoribus incommodisque vacationem habuit, quibus tamen minime est retardatus, quominus usque ad extremum pergeret, & voce, & calamo prodesse quam plurimis. Decessit sancte, uti vixerat, in collegio Camberienfi, VIII. Cal. Aprilis. Frater Jacobus Pauleus vitam clausit VIII. Cal. Novembres Rodumnæ, sæva paralyfi dissolutus, quam immodica laboris assiduitate contraxerat. Vir summe laboriosus, & otii omnis impatiens, non aliam admittebat quietem, nisi quam divina meditando caperet. Præter binas quotidie horas, quas somno detractas orando impendebat, ad piam meditationem aut lectionem referebat sese, quoties materies operis defuisset. Quæ vulgo magna videri solent hominibus, ea Pauleus ne obtutu quidem dignabatur. Accidit, ut duæ olim Reginæ, Ludovici justî mater & conjux, ædem collegii Rodumnensis subirent. Ipse, non modo visum non accurrit, ut cæteri, sed quod habebat opus præ manibus nec ad punctum temporis intermisit. Ex omnibus, quæ ad usum corporis faciunt, optabat poscebatque sibi deterrima, dicere solitus, modo ne nudus incederet, satis se decenter & commode amictum fore. Si quem fratrum deprehenderet sibi offensum, licet nulla oblata causa, culpam offensionis, & luendam pro ea poenam in se recipiebat. Obiit senex annorum septuaginta, quorum quinque & triginta amplius apud nos religiosissime vixerat.

Desideratus eodem est anno Biterris in provincia Tolosana P. Carolus Janinus, venator insignis, ut ajebant, hæreticorum, quorum amplius mille fertur diversis temporibus reduxisse ad Romanam Ecclesiam. Ter pestilentia tactis ministraverat, ter pestem contraxerat, divina semper ope servatus, credo, ne unius morte multorum salus periret. Incidit ejus obitus in III. Idus Novembres. Eodem die Janinum est subsecutus Turnonii Fr. Joannes Panageus, vir in suo adjutoris gradu valde laudatus, & cum quibusque sanctissimis comparandus. Vitam produxit ad annum usque nonagesimum. Cum posuisset in Societate annos paulo minus septuaginta, essetque effœtis senio viribus, oblatam communis disciplinæ remissionem a majoribus deprecatus, unam tantummodo rem multis cum lacrymis flagitavit, ut se hominem nihili, & ordini gravem molestumque, sinerent more pauperum victitare in publico nosocomio: quod tamen longe absuit ut impetraret. Sæva multa pertulit ab infernis spiritibus, quibus intensissimis utebatur. Sæpe summa hieme detractus est lectulo nudus: sæpe nocte intempesta auditus, cum inter insultantium ludibria, & plagarum crepitus divinam opem exposceret. Poenitentia sacramentum obibat diebus singulis, sacram Eucharistiam alternis sumebat: utrumque religionis sensu tanto, ut ipso corporis habitu pietatem intuentibus inspiraret. Turnonii, ubi vixit diutissime, non alio passim compellabatur quam sancti nomine, ejusque cadaver ut vere sancti plebs, & nobilitas coluerunt. Non erat de Societate, nisi animo & voluntate, vir clarissimus Arnaldus Boret: quia tamen diem extremum inter nos clausit Tolosæ, commisitque immortalibus suis in nos meritis ut ejus historiam ederet P. Petrus Possinus, his modo annalibus ad memoriam Societatis consignandum censemus. Tolosana domui probationis ædem sacram cum extruxisset, & collegio ejusdem urbis dedisset liberaliter unde seminarium Theologorum aleret, pertæsus rerum humanarum, annos vitæ ultimos uni sibi ac Deo vacare statuit in convictu nostrorum. Hac mente, fortunis, quas possidebat amplissimas, magnam partem in pauperes distributis, recepit se ad nostros tirones, inter quos præclari hospes exempli vixit annos fere quatuor, donec vitam pie actam pari morte conclusit x. Cal. Maji. Fuerat Tolosana curiæ Senator annos amplius viginti octo, ea semper integritatis & prudentia laude, ut vulgo viva lex morum diceretur.

To. I.

Sss 2

Quod

119.
Et Fratris Jacobi Paulei.

120.
RES TOLOSANA.
Obitus & elogium P. Caroli Janini.

121.
Et Fratris Joannis Panagei.

122.
Mortuus Arnaldus Boret in tirocinio Tolosano.

123.
Acta nostrorum Tolosæ ad publicam utilitatem.

124.
Pietas puerorum Turnonii, & unius præsertim.

125.
Missiones diversæ per provinciam.

126.
Duo missionarii Angelorum tutelarium opè experiuntur.

127.
Fundatur collegium Albiense. Primi ejus fructus.

Quod pertinet ad res gestas sociorum, sensere hoc anno Tolosates, quantas haberet utilitates nuper apud eos condita professorum domus. Ut alia minoris momenti sileam, excitatæ Patrum consiliis piæ nobilesque matronæ plures, consenserunt inter se, ut periclitanti puellarum pudicitia subvenirent. Hinc ære communiter collato, parandas curaverunt ædes idoneas, in quibus destituta parentibus virgines sub optima disciplina educarentur, & procul periculis viverent. Opus saluberrimum civitas mirifice probavit, & liberaliter juvit. Institutum ibidem est sodalitium opificum sub invocatione divinæ Matris, cœpitque jam tum numero sodalium, & pietate florescere. Simile opus ut conderetur Turnonii, pietas puerorum impetravit. Nam cum subinde conquererentur, se per atatem excludi piis cœtibus, in quibus adultiores ad virtutem informabantur, visum conflare certam ex iis sodalitatem, quam ab Angelis nuncuparunt. Nec vero abnuerunt cœlestes spiritus teneri gregis patrocinium suscipere. Gravi laborabat pleuritide puer moris innocentissimi, agebaturque vehementer, non tam de vitæ periculo, quam quod timebat, ne non posset ad constitutam diem in sodalitium coire cum æqualibus. Ecce autem nocte, quæ illam præcedebat diem, adest decumbenti ignotus juvenis egregia forma, moerentem verbis amantissimis consolatur, ac salutem pollicitus evanesceit. Vix ille se subduxerat, & jam puer valebat ut qui optime. Eodem anno susceptæ sunt ex diversis provinciæ collegiis apostolicæ expeditiones, peractaque fructu ubique non pœnitendo. Ex collegio Biterrensi bis itum est Montignacum, oppidum tunc Hugonotis a Rege permissum, semel vero Samedrium. Montignaci extinctæ multorum quæ inveteraverant capitales inimicitia. Samedrii gliscentes seditionis motus compressi, & familiis aliquot persuasum, ut Romano Pontifici sacramentum dicerent. Convicto ibidem Calvini ministro petulanti, & pudore ignominia in fugam acto, impetratum, ut consuluat dejecterentur hæretici, nec ludimagistri in posterum nisi catholici sumerentur. Eodem prope successu ex collegio Albenacensi ad Cemmenios montes excursum est. Concionibus publicis, privatisque sermonibus, plures ibi ex grege Calvini in caulas Ecclesiæ traducti, plures in fide vacillantes confirmati. Illud etiam effectum bene, ut templa duo, quæ profanis hæreticorum ritibus polluta diu fuerant, Catholici recuperarent. Similiter ex collegio Mauriacensi in diversa circumposita regionis loca procurrerunt sociorum paria septem, quorum tamen res gestas non exequar diligentius, ne prolixior fiam. Tantum non committam ut in oblivione sit beneficium, quod ex eo numero bini suis Angelis tutelariis debuerunt. Errabant noctu per saltus invios & salebrosos, sine duce ac via, non sine ingenti formidine. Implorato Angelorum præsidio, voces repente audiunt quasi hominum in proximo colloquentium. Amicum secuti sonum, vixque paulum progressi, iter quod quærebant tenuerunt, mortaliū nemine occurrente. Ut non temere existimare potuerint, voluisse per eas voces quos invocaverant Angelos periclitantibus opem ferre.

Labores nostrorum tam multi, tam assidui, reique publicæ adeo salutare, cum multis in Gallia civitatibus incitamento erant ut Societatem apud se perpetuo collocatam vellent, tum hanc præcipue mentem Albiensibus iniecerunt. Est Albia urbs in Septimania nobilis, caputque regionis, unde ortum & nomen habuit hæresis Albigenis, olim S. Dominici studio industriaque, & Simonis Monfortii armis extincta. Hujus urbis cum esset Episcopus Alphonsus Benius, & operam Societatis putaret suo gregi fore perutilem, tribuendum nobis Albiæ domicilium curavit, cum censu, & prærogativa collegii. Numerati statim in eo sacerdotes quinque, ac totidem juniores litterarum magistri, sub P. Hieronymo a S. Albino rectore. Nec dilatus civitati fructus novæ culturæ. Sedatæ multorum inter se jurgantium iræ, compressæ aliorum propudiosæ libidines, mores juventutis emendati, lætum faustumque Albiensibus collegii initium fecere. Eodem anno domum probationis Tolosanam illustravit duorum tiro-num constantia memorabilis, & sane digna quæ ad cæterorum exemplum literis

teris consignetur. Prior colloquentem de dimittenda Societate patrem suum repulerat sic, ut speraret neminem sibi deinceps ob eam rem molestum fore. Instante nihilominus apud magistratum patre, & fidem publicam implorante, educitur decreto judicis adolescens ex adibus tirocinii, & matri sistitur, experitur scilicet, ut obtendebatur, voluntatem filii, re vera, si succederet, expugnaturæ. Paraverat mulier maternæ dilectionis omnes machinas: omnes egregie adhibuit, sed nullo effectu. Primos parentis impetus cum eluisset feliciter adolescens, transfertur in domum nescio quam tutam, ubi degeret velut hospes, donec probata satis videretur ipsius voluntas. Ibi quamdiu fuit (fuit autem spatio non adeo brevi) nulla præterit dies, qua non se pane fortium, reficeret: quippe recte existimavit, id sibi in tanto discrimine permittendum a tirocinii moderatore, si daretur ejus consulendi potestas. Sic armatum non quotidiana parentis preces, non mixtæ precibus lacrymæ, non blanditiæ a proposito dimoverunt. Maternas curas, lac infanti præbitum, & longa educationis incommoda objectanti, Christum opponebat, ejusque crucem, & vulnera. Hunc sibi potius sequendum dicebat, a quo multo ampliora accepisset, ac sempiterna speraret. Semel præ magnitudine mœroris animi defectionem passam, & inter circumstantium manus collabentem, aliis miserantibus, aspexit immotus. Ubi denique compertum est, frustra esse omnia, nec posse ullis artibus fortissimum adolescentem de proposito dejici, tirocinio victor restituitur. Alter loco nobili, & in ampla fortuna natus Parisiis, provinciæ Præpositum exorare non poterat, ut se in Societatem reciperet. Repulsam excusabat Præpositus, causam referens in ejus patrem, virum in aula præpotentem, quem minime consentientem offendere periculosum esset. Cum nulla spes ostenderetur, aut patris, aut Præpositi voluntatem flecti posse, non ideo concidit animo pius adolescens. Quærendum alibi statuens, quod Parisiis non impetrabat, studiorum conficiendorum obtentu, abstulit a parente veniam proficiscendi Tolosam, ubi majorem, ut sperabat, facultatem habiturus esset explendi consilii sui. Hoc animo cum proficisceretur, ipso in itinere in gravissimam perturbationem mali dæmonis fraude circumventus incidit. Quod ante decreverat de eligenda Societate, id jam minus probabat, in alium quemlibet ex sacris ordinibus magis propendens. Anxio, & in omnem partem nutanti, venit in mentem experiri sortes. Experitur semel, iterum, ac tertio: semper Societas oblata est. Qua tam perspicua, ut putabat, divinæ voluntatis significatione permotus, reflexit denuo animum ad Societatem, eamque amplecti statuit. Et vero amplexus est, atque ita quidem ex animo, ut inde abstrahi nulla deinceps vi, nullo conatu potuerit. Adolescentem ad nos transgressum audierat ipsius pater. Rei nec opinatæ nuncio percussus, nihilque non movendum putans ut filium ad se abduceret, venit citatis equis Tolosam, fidem regiæ curiæ implorat, sibi ut redhibeatur filius, quem aiebat a Jesuitis male deceptum, poscit. Id modo poscenti datum, ut semel congregari cum eo posset, remotis arbitris. Designata ad congressum præsidis domo, in eam novitius ex tirocinio deducitur. Quatuor ipsas horas adolescens patri suadenti, oranti, & quidquid patria dictabat charitas ingerenti, restitit, animo atque ore peræque immotus. Quæ constantia pater præcisam sibi spem ulterius progrediendi videns, re ad extremum desperata, supremo omnium parenti filium obtulit non invitus, ab eoque multis cum lacrymis divulsus, Lutetiam rediit.

In provincia Aquitaniæ habuimus hoc primum anno domum professorum Burdigalensem, debuitque beneficium diu concupitum Societas tribus maxime viris, genere & dignitate clarissimis, Joanni Juberto de Barraut Episcopo Vasatensi, Jacobo Comteo senatori Burdigalensi, & ejusdem senatus primo Præsidi Marco Antonio Gaurnesio. Initium operi fecit Comteus, coemptis in hunc usum idoneis adibus, quas Societati donavit. Porro pergens Episcopus, coeptis perficiendis pecuniæ summam non contemnendam contulit. Sed neuter percepturus liberalitatis suæ fructum erat, nisi præses senatus Gaurnesius, præ-

128.

Cujusdam novitii constantia memorabilis.

129.

Simile exemplum alterius adolescentis.

130.

RES

AQUITANIÆ.
Fundatur Burdigalæ domus professorum.

præter parem beneficentiam, vim quoque magistratus quem gerebat afferret. Eo deducta res erat, ut nova Professorum familia propediem inducenda esse in paratas ædes: cum cives quidam ex primoribus intercesserunt, ac ne liceret illas ædes in domicilium religiosorum convertere pervicerunt. Malo remedium adhibuit præsentissimum benevolus Præses: obtulit enim in eundem usum paternam domum, eamque sine pretio: qua ejus munificencia domum obtinimus ampliorem, & quod caput est, in opportunissimo urbis loco sitam. Post hæc, cum non alia obstare difficultas videretur, condicatur dies ad celebrandam solemnem ceremoniam dedicationem novæ ædis, quam Generalis Præpositus, ut Cardinali Surdisio Burdigalensium Antistiti morem gereret, a S. Francisco Xaverio nuncupari jusserat. Ecce autem, triduo ante illam diem, nostris in jus vocatis interdicitur ex formula, ne quod intra urbem domicilium instituant. Hic enimvero Præsidis eluxit in tuenda Societate studium, hic tota se explicavit auctoritas. Ut rem paucis absolvam, sublatis intra breve tempus omnibus calumniarum moris, omnibus adversariorum conatibus feliciter superatis, nostros in possessionem novæ domus immisit. In ea porro cum fuerunt constituendi Patres, placuit celebritatem adhibere. Affuit in loco ad 111. Idus Novembris Cardinalis antistes, magna procerum & senatorum frequentia stipatus, sacrum peregit, & verba facere exorsus, de Societatis laudibus multa copiose orateque dixit, illud postremo loco circumfusam multitudinem gravissimis verbis admonens, ut quorum opera ad animarum salutem essent usuri, eos ne paterentur necessariis vitæ subsidiis indigere. Constituta in hunc modum domo professorum Burdigalæ, cum in eam plurimi immigrassent ex collegio ejusdem urbis Patres, spatii quædam portio vacua intra collegium ipsum relinquebatur. Id perspicuus qui forte aderat P. Petrus Cotonus Præpositus provincialis, aulam a reliquo collegio exclusit, in eaque sodalium pro pueris instituit sub tutela Regina Angelorum. Parum fuit instituere. Ipse, quamquam senex emeritus, & administrandæ provinciæ negotiis occupatus, leges dixit novæ sodalitati, ipse candidatorum recepit nomina: dignam se, dignam magistratu suo curam existimans hæc perficere in speciem leviora, quæ tamen ad formandum pietatis quoddam quasi gymnasium pertinebant. Ex nova sodalitate prodierunt eodem anno exempla virtutis, unde appareret, non male a Cotono illam curam fuisse susceptam. Ut alia omittam, unus quidam sodalium, adolescens teneræ ætatis, sed supra ætatem pius, ac sacro fervens ardore, cum forte obvium habuisset hominem flagitiis tota urbe notum, temperare sibi non potuit quin eum aggrediretur, ac blando sermone pellicere ad poenitentiam criminum conaretur. Multa subjecerat jam ad frangendam hominis contumaciam idonea, sed nullo effectu. Ubi sensit perstare ad omnia improbum, & verbis nihil moveri, dissimulans quid animo voluaret, cum nihil suspicantem abducit secum in sacrarium templi, quod primum occurrit. Nudat humeros, flagrum educit, accidensque ad ejus genua, diverberare se incipit immanem in modum: simul inter plagarum crepitus rogat, ut se respiciat, ut finem peccandi faciat. Cessit roganti vir pudore suffusus. Mentem in melius retulit, sponditque se fore in potestate ipsius. Lætus victoria puer, hominem e vestigio traxit ad collegium Societatis, & sacerdoti tradidit expiandum. Hæc in tam acerba ætate virtutis miracula, vix credibile quantum disciplinam Societatis ubique commendarent.

131.
Novum instituitur sodalium in collegio Burdigalensi.

132.
Adolescentuli studium admirabile pro conversione hominis flagitiosi.

133.
Res gestæ in variis provinciæ partibus.

Per idem tempus collegium, quod ante annos duos excitatum fuerat Pali in Bearnia, feliciter in dies progrediebatur. Calviniani Palenses, contemptis ministrorum suorum denunciationibus, utebantur jam nostris hominibus familiariter, eorum temperantiam modestiamque laudabant; quodque majoris momenti fuit, certi suos liberos litteris & moribus recte instituendos sub disciplina nostrorum, eos ad collegii scholas mittebant. Domicilium stabile Societati non erat. Neraci: huc tamen jussu sumptuque Regis mittebatur quotannis ex collegio Aginnenfi unus aliquis Patrum, tum ut civitatem, tum ut circum-

positam regionem excoleret. Idem per quadragesimam esurialium Condomium solebat excurrere, ad habendas ejus temporis conciones. Jam vero qui missus hoc anno est Neracum, præter alia bene ac salubriter ibi gesta, sodalitiū instituit piarum feminarum, hac illis imposita lege, ut obirent interdum nofocomia, & egenorum necessitatibus providerent. Collegiū charitatis ea sodalitas dicta est. Fructuosiore habuit exitum expeditio, quæ ex collegio Tutelensi suscepta est ad oppidum Bellilocum. Erant oppidani ex parte maxima Calviniano addicti, quodque plerumque usuvenit, hæresis æque vitiaverat hominum fidem, ac mores. Nihilominus ubi Patres audiri cœperunt, incredibiles undique concursus ad eos facti. Argumento sit, quod cum supplicationem publicam indixissent, coisse ad eam dicuntur hominum millia amplius sexdecim. Eodem in oppido suis divinæ cruci cultus est restitutus, erectumque denuo multis in locis humanæ salutis signum, quod ante plures annos furor Calvinistarum impie dejecerat. Nec cœlestia defuerunt Belliloci signa, quæ Patrum labori pretium, ac pondus adderent. Sodalitatem condiderant pœnitentium, qui cœruleo amicti sacco, nudis pedibus irent identidem supplicatum. Ita incedentes deridebant hæretici passim. Quadam vero die, ut risum ex eorum quoque molestia captarent, viam totam, qua ituros sciebant, vitri fragminibus clanculum consperferunt. Mirum dictum! Ex tam multis, qui viam nudis peregerunt pedibus, nemo vel leviter læsus est: id quod plerisque visum miraculo quam simillimum. Parem habuit admirationem alia res, quæ per eandem occasionem accidit. Qua hora progrediendum erat, repente cœlum obduxit caligo tam densa, ut omnes casuram mox procellam putarent. Et tamen toto supplicationis tempore, etiamsi cœlum esset ut cum maxime nimbosum, ne minimus quidem imber decidit: ea vero vix peracta, tam præceps dejecta est moles aquarum, ac si cœlum rueret. Rescitum est postea, Calvinianos pactos fuisse cum malefico, ut magico carmine procellam induceret in supplicantes, sed prohibitos divina virtute dæmones non potuisse præstigatoris conatibus obsecundare. His accessere in eodem loco supplicia quadam de contemptoribus religionis divinitus sumpta. Tres germani fratres, ægre ferentes ante suas aedes præaltam crucem fuisse a nostris erectam, obloquebantur liberius, minas jactabant, ac curæ sibi fore ajebant, ut quamprimum deiceretur. Unus post paucos dies, dum trajicit vicinum anem, excussus a jumento, in ejusdem conspectu crucis misere demergitur. Alii duo in iter se dederant simul, nescio quo profecturi. Exorto inter ipsos jurgio, ventum est ad arma. Pugna nisi cum alterius cæde finire non potuit. Qui supererat fraticida, male sibi timens a magistratu, in silvam aufugerat. Dum quærit latibula, ex insidiis interficitur ab inimico. Has illi dederunt pœnas impietatis suæ. Mitius actum cum alio quodam scelesto, qui ausus fuerat jurare falso per martyres civitatis patronos, Primum, & Felicianum. Cum vix perjuri verba protulisset, tacta de cœlo ejus domus irreparabili incendio conflagravit.

Hactenus res Gallicas quantum satis est executi, convertimur nunc ad Hispanienses, quæ in litteris hujus anni multæ sunt. Eas nos, quæ potiores visæ fuerint, decerpemus nostro more. In provincia Castellana perierat pene nobis ob angustiam rei familiaris collegiū Abulense, nisi Indiarum Patriarchæ Didaco Gusmano fuisset injecta mens, ut æris alieni magnitudine oppressum sublevarret, novisque vectigalibus attributis denuo fundaret. Hac vero liberalitate, non modo servatum restitutumque est, verum etiam translatum ex loco, ubi hæctenus fuerat, in alium multo commodiorem, & totius urbis facile frequentissimum. Patres in novas aedes induxit ipse Gusmanus: ipse altaris mysterium ex veteri templo in novum cum insigni celebritate ac pompa transtulit, merito proinde Abulensis collegii parens & conditor appellatus. Dum sic Abula domicilium pene eversum instauratur, parum, ac prope nihil absuit, quin funditus everteretur quod condi nuper cœperat in urbe S. Sebastiani. Est id oppidum in extrema Cantabria, ob situs portusque opportunitatem totius provin-

134.
Sociorum labor
cœlestibus si-
gnis confirma-
tur.

135.
Exempla di-
vinæ severitatis
contra religio-
nis contempto-
res.

136.
RES
CASTELLANÆ.
Collegiū
Abulense denuo
fundatur.

137.
Inchoatur col-
legiū in urbe
S. Sebastiani.

138.
 Multorum mo-
 litiones ad illud
 revertendum.

139.
 Nostri cogun-
 tur loco cede-
 re: quam incle-
 menter exacti
 sint.

140.
 Mitigatur de-
 cretum regii
 consilii: denuo
 collegium in-
 choatur.

vincia celeberrimum: huc enim ad exercenda cum Hispanis commercia fre-
 quentes commeare solent Galli, atque Angli, ceterique maris septentrionalis
 accola. Hoc in oppido Dominicus Ituralde, anno labentis sæculi decimo nono
 moriens, cœnobium condi jussit ejus ordinis, quem Senatus civitatis ma-
 luisset, eumque in usum pecuniam satis amplam testamento legaverat. Re-
 postmodum in consilio publico deliberata, placuerat legatam pecuniam donari
 Societati, cum apta domo, & sacra æde, ut collegium excitaretur: quam do-
 nationem accipiens Præpositus provincialis Didacus Sofa, eo miserat statim duos
 sociorum, qui publicis tabulis stipularentur, ac donec venissent ab urbe Ro-
 ma responsa Præpositi Generalis (præter quem nemini fas est nova Societatis
 domicilia admittere) Sebastianopoli degerent, magis tamen ut hospites, quam
 ut in suo. Dum expectantur Roma litteræ, multa moliri cœperunt alterius ordi-
 nis Religiosi, ut nos inde depellerent. Religiosis adjunxerunt sese aliqui e
 civium primoribus, quos ajunt atrociter fuisse irritatos contra P. Michaellem
 de S. Romano stationis præfectum, propterea quod inter concionandum depravatos
 eorum mores acrius interdum, liberiusque reprehenderet. Utrum vere
 modum excederet vir ingenii cæteroqui severioris, nec ne, nihil habeo quod
 affirmem. Utrumlibet fuerit, nostros homines in jus vocarunt quos dixi reli-
 giosi, causamque agentes publico, ut ajebant, nomine civitatis, iis coram
 Nuncio Pontificio diem dixerunt. Illud petebant aperte, ut Societas urbe
 S. Sebastiani cedere cogeretur. Petitio cum videretur, ut minime dicam, pa-
 rum æqua, nobis vindicias dedit judex, & jus possessionis valere jussit. Non
 acquieverunt sententiæ adversarii. Tanquam injuriam manifestam passi, appel-
 lant consilium Regis, consiliarios vario genere querimoniarum implent: Socie-
 tatis mansionem Sebastianopoli officere tranquillitati publicæ, summis infi-
 misque gravem, & molestam esse demonstrant. Cum nemo tunc inveniretur
 Matriti, qui objecta nobis crimina refelleret, fit prope senatus consultum,
 ut excedant loco Patres, uno tantum relicto aut altero ad bonorum admini-
 strationem fratre ex domesticis adjutoribus. Acceptum est in urbe S. Sebastia-
 ni decretum postridie Cal. Aprilis, dum maxime agebantur dies hebdomadæ
 sacratoris: nec religiosi, qui faciendum curaverant, tandiu saltem differri sunt
 passi, donec dies paschatis exiissent. Eadem ipsi die, scriba publico & testi-
 bus secum adductis, Senatus jussa Patribus detulerunt: ipsi ut colligerent va-
 sa, & urbe quantocyus excederent denunciaverunt. Vis parabatur, nisi spon-
 te cessissent. Ita, uno tantum relicto domi, qui rem familiarem curaret, lai-
 co, sacerdotes omnes pridie paschatis abierunt. Auxit expulsionis indignitatem
 aliud decretum in consilio civitatis factum, quo vetabatur portarum custodi-
 bus, ne quempiam de Societate sinerent pedem intra urbem inferre. Id quod
 adeo exacte servari cœpit, ut cum paulo post unus nostrorum ex Belgio cum
 regis navibus appulisset Sebastianopolim, prohibitus fuerit in terram exscen-
 dere, licet ærotus, nec ultra mansurus in urbe, quam quoad venam sibi in-
 cidendam curasset. Sane constabat, ex parum sinceris adversariorum relationi-
 bus regios Senatores tam duriter contra nos & acerbe decrevisse. Decretum
 abrogaturos, si semel veritatem causæ docerentur, nemo dubitabat. Qua-
 re Didacus de Sofa iterum provinciæ Præpositus, etsi socios hortabatur ut in-
 juriam silentio ferrent, gnarus tamen veritatem, utcunque opprimatur inter-
 dum, nunquam extinguui, Matritum misit P. Alphonsum Canum ad refutan-
 das æmulorum calumnias, & senatus fidem æquitatemque implorandam. Postula-
 torum hæc erat summa, ut in urbe S. Sebastiani perpetuo habitaret unus saltem
 sacerdos ex nostris, liceretque Societati ad eam urbem mittere evangelicos ope-
 rarios quoties, & quamdiu visum esset expedire. Æqua rogari censuit Se-
 natus, & secundum postulata decrevit. Quibus impetratis, non modo deleta
 est accepta prius ignominia, verum etiam sterni paulatim cœpit via ad stabi-
 liendum ea in urbe collegium, quod intra duos annos, frustra repugnantibus
 æmulis, perfectum demonstrabimus.

Extinctum interea est Vallisoleti lumen Castellanae provinciae, imo Societatis universae clarissimum, P. Ludovicus a Ponte, cujus vel audito nomine, virtutum omnium, ac totius religiosae perfectionis species occurrit. Hujus historiam viri proprio volumine comprehendit P. Franciscus Cacupinus. Nobis nec de illo prorsus silere fas est, nec quaecunque sunt digna scitu his annalibus persequi. Summam ergo referemus eorum, quae Alphonsus Lopez Episcopus Vallisoletanus, post peractam accurate quaestionem de vita illius, scripsit ad Urbanum VIII. Pont. Max., rogans ut tanti viri memoriam in fastis Ecclesiae consecraret. Ejus itaque ut ordini insistam, atque ipsis prope verbis utar, Ludovicum a Ponte in omni genere virtutum eminuisse, pro certo cognitum est. Principio charitate adversus Deum & proximos sic efferbuit, ut non semel ex ea prope supremum vitae discrimen aegrotaverit. Totum vitae suae tempus distribuerat per hujus virtutis officia. Aut enim divinarum rerum contemplatione, precibus, sacrisque faciendis occupabatur: aut proximorum utilitatibus serviens, rudes privatim ac publice docebat, concionabatur, confitentibus aediebat, consulentibus responsa dabat, male habentes consilio, piisque monitis sublevabat. Eo usque progressus est ardor christianae charitatis, ut semel juvandis pestilentia tactis devoverit sese, nec dubitaverit animam pro fratribus ponere. Illud non minus certo constat, magnam Ludovico, & valde intimam cum Deo familiaritatem fuisse. Vir ordine religiosus, gravis idem & doctus, juratus affirmavit, inventum sibi aliquando, dum oraret, sensibus alienatum, & coelesti lumine, velut igneo globo, circumfusum. Summa afficiebatur pietate erga divinam Eucharistiam, apud quam crebro pernoctare solitus, eandem tam frequenter adibat interdum, ut vix crebrius posset, cui id unum officium vitae fuisset. Extrema licet consumptus macie, tenuisque tantum cute & ossibus constans, modo pedibus posset insistere, divinam faciebat quotidie rem, nec diem praetermisit ullum, quo non saltem aliena manu de sacro ferculo participaret. Tam assidue cum Deo consuetudinis fructus fuere crebra & mirifica coelestium visa, multiplices divinarum intelligentiae, ac superni luminis tanta vis, ut olim auditus fuerit cum exclamaret: *Non plus Domine, non plus: non tantum luminis, satis est.* Haec tamen dona vir modestissimus, maximeque metuens humanae laudis, ita condiderat apud se, ut nisi ea Deus mirabiliter detexisset, futura fuerint prorsus in occulto. Jam quis in tolerandis vitae arumnis Ludovico patientior? Multis acerbisque valetudinis incommodis, praesertim doloribus articularibus per diu vexatus, non gemitum umquam, non vocem ullam dolentis indicem fudit. Mirabantur medici, qui posset corpus ita defectum viribus vivere, negabantque omnino posse sine miraculo. Capite tantum valebat, & manu dextera. His exceptis, nullam habebat corporis partem sine sensu doloris fere perpetuo. Perrexit nihilominus usque ad extremum spiritum, non dicam componere, sed & sua manu describere undecim illos egregios libros, qui quantum scientiae mysticae contineant, notius est, quam hoc loco dicere necesse sit, cum in omnes fere linguas Europae translata sint aurea volumina, cunctisque prope nationibus disciplinam sapientis, ac religiosi scriptoris impertiant. Ejus deinde innocentiam quis satis digne explicaverit? Testabantur qui diu Ludovico fuerant a confessionibus, viri religione doctrinaque praestantes, non modo nullam in eo lethalem noxam sibi esse deprehensam, sed ne leviolem quidem ex earum genere, quae notabiliores haberi solent: quod vero jam pridem voverat, numquam scientem prudentemque quantumvis leviter peccaturum, id affirmabant ab eo integre religioseque servatum. Paupertatis evangelicae servantissimus, praeter tegumenta corporis, & necessarios libros, nihil umquam habere voluit apud se. Viri abstinentia plane admirabilis. Quamvis morbo laborans, genus nullum deliciarum admittebat. Victu utebatur parcissimo, quodque sumperat cibi, stomacho nauseante cogebatur post paucas horas rejicere, tam acerba viscerum contorsione, ut fastus aliquando sit, si optio daretur, futurum

To. I.

T t t

sibi

141.
Mors & elogium Ven. P. Ludovici a Ponte ex epistola Episcopi Vallisoletani ad Pontificem.

sibi tolerabilius inedia confici, quam ita refici. Debilitato tot malis corpufculo addebat ipse quasi cumulum voluntarios cruciatus, cilicium asiduum, quotidiana verbera, brevissimum somnum, quem plerumque in affe nudo carpebat. Inter cæteras ejus dotes spectabatur insigne quoddam in regendis conscientiiis magisterium, quo introspicere penitus videbatur quæ quisque in mente gereret. Ob hanc intelligentiam, & adjunctam doctrinæ consilii vim, ad illum unum tamquam ad oraculum passim in rebus dubiis confugiebant omnium ordinum homines, clerici pariter & laici, religiosi & antistites ecclesiarum, nobiles plebeique: nec fuisse quemquam perhibent, cui non ille omnino satisfaceret. Idem cordium arcana sæpe cognovit, & aliquando, cum id utile futurum erat, detexit, divina perfusus luce. Futura etiam prævidit prædixitque non raro, quæ suis deinde temporibus evenere: nec paucos ægrotantium solis adhibitis precibus perfanavit, omnique corporis atque animi ægitudine liberavit. Vitæ tam innocenti, tam sanctæ, supremus consensit actus. Dum morientium sacris expiatur, solemnes ceremonias summa religione prosequens, ad preces singulas sua semper voce respondit: quibus peractis, cum sese paululum collegisset, auditus est supremam illam Christi morientis precem identidem usurpare: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Hæc ejus novissima fuit vox, quæ sæpius iterata, spiritum placide emisit. Hactenus ex litteris Episcopi ad Pontificem, quibus deinde exequitur, quantæ fuisset, & adhuc esset apud omnes de sanctimonia ipsius opinio, quibus honoribus celebrasset illi funus civitas Vallisoletana, quæ demum præter naturæ ordinem beneficia multi impetrasse dicerentur, ejus nomine invocato. Sed in his immorari nobis ad alia properantibus non vacat. Natus erat vir venerabilis Vallisoleti III. Idus Novembres, anno MDLIV., parentibus genere, ac pietate inclytis. Adolescens in sacrum ordinem Prædicatorum propensus, ut amplecteretur Societatem motus fuisse dicitur, partim apostolicis concionibus P. Martini Guttierrez, partim nostrorum juvenum quam observaverat modestia singulari. Numerabat vitæ annos viginti, cum Methimnam Campi venit ad ponenda religiosæ vitæ rudimenta. Ea cum feliciter posuisset sub institutione magni illius magistri P. Balthasaris Alvarez, nondum plane exacto tirocinio, redire in patriam est jussus studiorum causa, ubi quamdiu fuit, licet eximie diligeretur a suis consanguineis, eos tamen adiit nunquam, ac ne nominabat quidem, nisi coactus. Vallisoletum, post confectum cursum studiorum, & sacerdotium susceptum, transiit Villamgarisam, tertium probationis annum peracturus more Societatis. Ibi nactus iterum perfectionis magistrum quem supra dixi Balthasarem Alvarezium, primum omnium totam vitæ suæ rationem illi explicuit, corrigi, ac doceri flagitans. Loquentem patienter magis quam comiter cum audisset Alvarezius, iussisse illum hactenus more puerorum, respondit, qui virtutem puerili majorem nondum esset assecutus: virum ut indueret aliquando, & altiora persequeretur, monuit. Ea monitione, mirum ut sibi displicuerit Ludovicus, ut solidioris virtutis studio exarsedit. Continuo, quasi tunc primum religiosæ perfectionis stadium ingrederetur, cunctis naturæ cupiditatibus bellum indicit, quæque in sanctitate vulgo difficillima existimantur, ea sibi deinceps consecranda proponit, fovente pium ejus ardorem Alvarezio, ac novos subinde stimulos subjiciente. Profectus ab hac palastra, ut erat non solum pietate conspicuus, sed etiam ingenio doctrinaque multo supra æquales excellens, tradendis altioribus disciplinis adhibetur. Legione philosophiam, Salmantica ac Vallisoleti theologiam cum docuisset, tironum institutioni præfectus est, gravissimumque munus cum incredibili utilitate provinciam ad plures annos produxit. Postremo collegium Vallisoletanum regebat: sed cum multiplici conflictaretur valetudine, nec ad vitam adeo actuosam sufficerent vires, coactus otio ac solitudine frui, privatam vitam instituit in collegio eodem, ubi, excepto quod domesticorum conscientias moderabatur, ultimos vitæ annos sibi tantum, ac suis libris vacavit, Obiit xv. Cal. Martii, an-

142.
Ejus vitæ compendium.

annum agens ætatis septuagesimum, ab inita Societate circiter quinquagesimum. Sepultus fuerat loculo separato, ut solent apud nos viri sanctitate insignes. Cum vero post menses undeviginti placuisset ejus ossa digniorem in locum transferri, ex omni corpore, quod fere jam putruerat, solum inventum est cerebrum in exeso cranio penitus incorruptum: quod ita plerique interpretabantur, ut indicium esset sanctarum cogitationum, quas vivens perpetuo versaverat.

Paucis post Ven. Ludovicum mensibus, alius in provincia Aragoniensi decessit Ludovicus, cognomento Ballesterius, sacerdos hic etiam exempli semper recti, ac sive sacrarum litterarum scientiam, qua pollebat plurimum, spectes, sive eximiam dicendi vim, sive demum studium animarum, quo prorsus inexplibili tenebatur, inter præstantissimos Societatis operarios merito censendus. Solebat ad populum verba facere ubicunque se daret occasio: in triviis, in foris, in sacris ædibus, perindeque apud plebem infamam, ac florem nobilitatis. Ejus conciones magni semper audientium motus, magni gemitus excipiebant. Memorabile in primis quod olim Valentiaë gessit, ad comprimendam bacchanalium insaniam. Per urbem concionabundus incessit, cadaver hominis sublatum inter ulnas gestans, & effigiem Christi in cruce suffixi manu præferens: utque in greges perfonatorum ac lascivientium inciderat, vocem intendens, eos brevi, sed vehementi oratione detinebat, atque ipsa spectaculi specie concutiebat. Tantus hinc terror incessit civitatem, ut reliquis bacchanalium diebus nihil uspiam de solita ejus temporis licentia fuerit usurpatum. Extat etiam nunc rei monumentum coloribus adumbratum in tabula, depictumque jussu Pontificis Valentini, cui nota Ballesterii virtus, nec suspectus quo agebatur spiritus. Supremo cum decumberet morbo, ac brevi exhalaturus animam videretur, edixerant medici, ut ad novissimum agonem inungeretur statim. Negavit ipse opus esse ante quintam diem, & sacram inunctionem differri voluit. Die quinta, quæ incidit in Cal. Maji, compertum est, præcivisse illum multo certius medicis, quo prorsus tempore esset moriturus. Obiit Valentiaë, ubi ante annos undecoginta fuerat in lucem editus. Annum decurrebat in Societate tertium supra sexagesimum. Pari sociorum luctu elatus est Casaraugustæ P. Garzias Alabianus, patria Tarraconensis, cujus in re theologica peritiam, pietatem, prudentiamque omnes domi forisque commendabant. Annos ferme viginti quinque vixerat in Polonia, eo missus inter paucos, quos olim Everardus Mercurianus ad fundandam in amplissimo illo regno Societatem elegerat. Ibi quamdiu versatus est, operam & industriam suam valde probavit religiosissimis regibus, Stephano, & Sigismundo, qui ejus consiliis plurimum usi sunt. Multos præterea procerum sibi devinxit, atque omnium maxime Cardinalem Radzivilium, a quo Romam est ductus inter itineris comites, & familiares. At cum obiisset Romæ Cardinalis, rediit ipse in suam Aragoniam, ubi collegio Casaraugustano semel atque iterum rector impositus, pari probitatis ac prudentiæ laude magistratum gessit. Erat ab ipsa natura summe ingenuus, & eximio quodam animi candore ornatus: ex quo solitus de aliis conjecturam facere, ægre credebatur quæ quispiam peccasse diceretur, nisi essent exploratissima. Ob eam rem sermones maledicorum ne summis quidem auribus admittebat, otiosorum vero colloquia & consuetudinem quantum poterat refugiebat. Vivere desit v. Cal. Maji in optima spe vitæ melioris, anno a suscepta Societate trigesimo sexto.

Præter moerorem istiusmodi funerum, nata Ilerdæ est controversia, quæ ad plures annos extracta, res ibi nostras multis molestiis implicuit. Ante annos duodeviginti ita convenerat inter Ilerdenses & Societatem, ut latinitatis scholæ, quæ ad gymnasium academicum pertinebant, per nostros deinceps homines administrarentur, intra collegii nostri parietes haberentur, & a rectore collegii omnino penderent. Quod uti tunc cum assensu mutuo partium institutum, ita servatum deinde fuerat usque ad hoc tempus, non sine civita-

To. I.

Ttt 2

tis

143.

Res

ARAGONIENSES
Obitus & elo-
gium P. Ludo-
vici Ballesterii.

144.

Obitus & elo-
gium P. Garzias
Alabiani.

145.

Controversia
Ilerdæ nata de
scholis. Quæ
fuerit occasio.

146.
Civitas de-
cretum contra
illud collegium.

147.
Itur in judi-
cium. Rex cau-
sam nobis adju-
dicat.

148.
Proponitur ite-
rum causa, &
scholæ nobis a-
dimuntur.

149.
RES TOLETANÆ
Gravis discor-
dia componitur
Compluti.

tis approbatione & commodo, consentientibus aequis iniquisque, recte suos liberos apud nos erudiri. Sed quamquam hæc ita essent, mutati repente sunt civium animi, & publica utilitate potior visa paucorum privata indignatio. Alienatæ voluntatis hæc maxime fuisse causam invenio, Pauci ex pueris gymnasium Societatis frequentantibus, commiserant cur vapulare in schola cogentur. Verberibus efferati, coitionem inter se faciunt, urbanum magistratum adeunt, conqueruntur, quosdam collegii nostri magistros non videri satis ad docendum idoneos. Innotuit uni ex magistris de accusatione: quodque dissimulari prudenter debuit, juvenis parum prudens puniendum ratus, delatores, & eorum maxime ducem flagris multavit. Id adolescens parenti narravit suo, qui ob eam rem supra quam dici possit iratus, faciendum omnino sibi statuit, ut scholarum procuratio nobis abrogaretur. Hæc mente, assumptis in partem consilii sui quos norat rebus nostris iniquiores, concurrere huc illuc, civium animos sollicitare, multa in vulgus spargere, quæ Societati invidiam facerent. Neminem, ajebat, ex collegii disciplina bene litteratum hæcenus prodixisse: mitti plerumque magistros, nec ætate graves, nec litteris satis cultos: apud hos unice in pretio esse nobilium ac potentium liberos, plebejorum vero, atque inopum prorsus negligi. Quibus, aliisque ejusdem generis criminationibus, vix credibile quantum exarserint multi, præsertim ex infimo ordine. Animis ita affectis, referuntur eadem mox ad consilium publicum civitatis, cui semper intererant de plebe aliqui cum jure suffragii. Discessere plerique in hæc sententiam, ut magistri Societatis juberentur in posterum habere scholas in gymnasio Academiæ: ni facerent, privarentur subsidio annuo, quod sustentandis ludimagistris de publico pendebatur. Collegio præerat id temporis P. Didacus Sala, eique decretum denunciatum est. Se quidem, respondit Sala, relaturum de negotio ad Præpositum generalem: sed interim rogare civitatem, ut donec ejus responsa advenissent, stare vellet conditionibus, quibus ab initio transactum fuisset. Æqua postulari dixerunt Jurati (id summo Ilerdensium magistratui nomen), rem tamen agi in frequentissimo Senatu constitutam, quam nulli magistratui prorogare fas esset: se contra Senatus consultum nihil posse. His auditis rector, dari sibi Senatum petiit, ubi calumnias adversariorum dilueret. Datus est, sed nihil confectum. Obdurerant nempe contra nos animi, nullisque rationibus flectebantur. Animum non abjecit Sala. Deliberatum habens conari omnia, ut jus collegii tueretur, impetravit a Prorege litteras, quibus evocabatur Barchinonem causa, civitati vero ne qua circa scholas mutatio fieret vetabatur. Pupugit ea res civitatem in jus ambulare coactam. Hoc ergo gravius contra nos concitata, Barchinonem primo, mox etiam Matritum mittit procuratorem, qui jus scholarum legibus repetat. Post accuratam causæ disceptationem Rex, standum primis pactorum tabulis pronuntiavit, cumque hoc medio tempore Ilerdenses novas aperuissent in Academia scholas latinitatis, eas occludi iussit: quo Regis decreto, ad exitum deducta lis videbatur. Jam civium bene multi suos liberos in disciplinam nostrorum restituerant: cum excepit contra procurator civitatis, frustra citari tabulas sine legitima facultate confectas. Qui nobiseum ab initio pacti essent de scholis, eos habuisse quidem a Senatu facultatem transigendi, sed non habuisse, uti necesse erat, mandatum obligandi pacto perpetuo, & irrevocabili civitatem. Exceptionem urgebant legulei summo conatu, litemque extrahebant. His rebus cognitis, Rex controversiæ judicium rejecit ad consilium Barchinonense, ubi triennio post victi fuimus. Scholas itaque tunc resignavit Societas, nec eas, nisi post aliquot annos, rogatu civitatis recepit.

Dum his nostri molestiis Ilerdæ conflictabantur, dissidium multo gravius Deo bene juvante extinxerunt Compluti. Certabant a longo tempore de dignitate, ac principatu loci Collegium academicorum, & Magistratus urbanus, quæ lis armis disceptata non semel, urbem interdum cædibus funestaverat. Malo, quod vix sanabile videbatur, hoc labente anno remedium fecit nostrorum

rum industria. Nam cum mediū advenissent Patres, non minus auctoritate quam canitie graves, iis sequestribus certæ inita sunt utrinque passionēs, in quas consentientibus ex æquo bonoque partibus, quidquid hætenus contentionum fuerat, sublatum est. Ibidem grassator fuit perditus, & flagitiis cooperatus, qui de nece euidam inferenda cogitabat. Dum id animo coquit, & occasionem rei gerendæ captat, subito, ac terrifico ostento ad saniora consilia est revocatus. Vidit in somnis circumfissi se, ac obsideri quodammodo ab immiti luporum grege: horribilem in modum ululantes audiit, ac ne in frustra discerneretur extimuit. Metu expergescens, Deiparam invocabat. Insonuit repente vox cælo delapsa, iret confestim ad unum aliquem sacerdotem Societatis Jesu, & apud eum onera conscientie deponeret. Fecit ille imperata, non solum prompte, sed & miro sensu pietatis. Peccata ingenti vi lacrymarum deterfit, peractaque vix confessione, *ut dignos penitentia fructus faceret*, ad religiosam severioris disciplinae familiam se contulit. Per hæc in Toletana professorum domo decessit P. Joannes Mariana, vir ille quidem magnitudine ingenii, & copia litterarum clarus in paucis, ut ejus scripta testantur: idem religiosus etiam virtutibus non mediocriter ornatus: quem tamen laudare sine exceptione non possumus. Unum illi defuit, quod non ut cæteras animi cupiditates, opinandi quoque libidinem vinceret. Oblitus enim professionis suæ, nihilque veritus beati nostri legislatoris gravissimum sanctissimumque iudicium, secus quam par erat sensit de Societatis legibus & institutis, & quæ minus recte sentiebat, eadem ausus est litteris tradere. Equidem scio, extitisse inter socios Hispanienses qui putarent, libellum illum *De erroribus, qui in forma gubernationis Societatis Jesu occurrunt*, falso Marianæ fuisse inscriptum ab aliquo nostri nominis adversario. Verum id ego magis optare possum ita esse, quam credere. Video quippe innotuisse Mutio Generali de opusculo, ejusque auctore Marianæ, prius etiam quam typis editum vulgatumque esset Burdigalæ. Video, scriptas ab eodem fuisse gravissimas ea de re litteras, cum mandatis, ut quæ descripta volitarent libri exempla, diligenter conquiritæ flammis absumerentur. Video demum, cum liber exitialis in lucem prodit typis Gallicis, neminem tunc nostrorum esse conquestum, quod spurius fœtus fuisset injuria suppositus Patri Marianæ. Magis ergo inclinat animus ut putem, quod certis argumentis demonstravit Theodorus Eleutherius, * multis partibus corruptam fuisse illius lubricationem in Gallia, nec sensa auctoris fatis fideliter fuisse ab eis reddita, qui nostri nominis odio editionem suscipere adornandam. Hinc opus impressum, utpote authographo minus exacte consentiens, Marianæ abjudicari non immerito possit. Utcunque se res habeat, fuerat Mariana inter præstantissimos Toleranæ provinciæ Patres, nisi eximjis ejus laudibus hæc macula fuisset aspersa. Et sane miror, tali viro nunquam venisse in mentem ejus qui monuit: * *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*. Erat ortu Talabricensis. Obiit XIII. Cal. Martias, natus annos prope nonaginta. Sed ad provinciam Baticam veniamus.

Vix fuit in hac provincia domicilium, ex quo non aliqui Patres ad opus Evangelii peregre proficiscerentur anno labente. Duobus ultimis tantum mensibus P. Georgius Hemelmanus, provinciæ præses, in diversa loca sacerdotes dimisit triginta. Nam cum instaret annus piacularis, quo anno cessant ubique extra urbem Romam poenarum gratuita remissiones, quas Indulgentias dicimus, prius quam earum usus inhiberetur, placuit quam latissime circumferri indulgentiam sacris addictam missionibus, eamque ut consequi populi plures possent, itum est difficillimis itineribus ad loca inhospita, ac retrusa, quæ vel nunquam, vel non nisi a longo tempore filii Societatis adierant. Operæ non est exequi per partes frugem in locis singulis collectam, tum quod nimis in longum narratio excurreret, tum quod eadem iteranda nobis essent, quæ de similibus peregrinationibus sæpe alibi memoravimus. Tantum dico, non poenituisse evangelicos operarios laborum, quos propemodum infinitos in illis circui-

150.
Perditi ho-
minis conversio
memorabilis.

151.
Moritur Pater
Joannes Maria-
na non sine no-
ta audacioris in-
genii.

* Hist. lib. 2.
cap. 21.

* Prov. 22. 28.

152.
RES BATICÆ.
Sacrae missiones
per provinciam
peractæ.

153.
Mors & elo-
gium aliquot
Patrum.

154.
Moritur in So-
cietate Alvarus
de Armenta,
vir sanctitate
insigni.

155.
Mira ejus cha-
ritas erga pau-
peres.

cutionibus exhauserunt. Interea septem & quadraginta capitibus provincia mi-
nuta est, ex quibus maxime desiderati Patres Hernandus Ponce, Michael Vaf-
quez, & Didacus de Corduba. Poncius quatuor Hispaniarum provincias obie-
rat cum potestate visitatoris. Baticam semel, bis Sardiniam ordinario jure
rexerat, fueratque ob religiosæ virtutis exempla semper, & ubique spectatus.
Decessit Hispali xiii. Cal. Martias. Michael Vasquez, theologus post cognomi-
nem illum suum Gabrielem insignis, theologicam scientiam tradiderat Hispali,
Romæ, Salmantica, & Granatæ, magna ubique approbatione doctorum: quod-
que magis est, cum singulari doctrina par studio pietatis in omni vita con-
junxerat. Demum Hispali cum esset, & lucubrations suas jussu Prapostiti ge-
neralis prelo pararet, vitam cum morte commutavit viii. Cal. Augusti. Di-
dacus de Corduba ad Societatem venerat provecta atate, eratque jam tum ju-
ris canonici doctus in tantum, ut hac unice scientia ad professionem quatuor
votorum admittus fuerit. Res nostras, & instituta omnia Societatis magni facie-
bat, cupiebatque cuncta, uti a beato Conditore fuerunt tradita, exacte serva-
ri. Id unum moriens supremum admonuit Patres lectulo circumfusos, ac pau-
lo post animam Creatori reddidit. Delatus olim ad moderatores perjurio mulier-
cula, infamiam & poenas confecti criminis tamdiu silentio tulit, donec con-
scientia subigente mulier calumniam retexit. Finem vivendi fecit in collegio
Cordubensi Nonis Februarii. Nostris eodem anno mortuis merito est accensendus
Alvarus de Armenta, magni doctor nominis, idemque Sacerdos sanctimonie
fama conspicuus: diu enim inter nos vixit Hispali, ac tandem sub vite finem in
nostrum ordinem, quod summe concupiverat, adscriptus fuit. Pueritiam vix
egressus, dum Salmantica altioribus disciplinis dabat operam, sæpe sodalium
licentiam compressisse dicitur, tum vite innocentissimæ exemplo, tum etiam
vocæ: id quod multi reputantes, jam inde conjecturam fecerunt vite sanctioris,
ad quam procludere videbatur. Pingue sacerdotium consecutus Gadibus, ibique
degens, quidquid temporis ab Ecclesiæ ministerio vacuum relinquebatur, stu-
diis sacris, aut piis precibus impendebat, inclusus domi, aliisque curis profus
abstractus. Cum ne sic quidem videretur sibi satis a vitiorum illecebris pericu-
lisque tutus, abdicato sacerdotio, secessit in nostram tirocinii domum Mon-
tilii, ubi per aliquod tempus ita vixit, ut nulla re alia a novitiis secerni pos-
set, quam indumento. Vocatus inde fuerat, seu verius multorum auctoritate
compulsus Hispalim, ut curam susciperet insignis nosocomii, cui a Cardinali
nomen. Hujus administrationis adeo nulla emolumenta sectatus est, ut cum
successori munus reliquit, confectis de more rationibus, apparuerit, Armentam
nosocomio multum expensum tulisse de suo. Annos vite ultimos exegit in do-
mo probationis Hispalensi, nec satis dici possit, ut novitiis ad omnem virtu-
tem incitamento essent viri talis exempla. Ternas quotidie horas dabat medi-
tationi celestium. Corpus, quamvis jam senio fatiscens, jejuniis, cilicio, fla-
gris atterebat. Domo nunquam exibat moderatoris injussu. Sape a prandio,
dum ceteri mutuis sermonibus animum relaxabant, abdebat ipse se in culinam,
& sublatis e mensa patinas abstergebat. Sed ejus supra ceteras virtutes eminebat
liberalitas erga pauperes. Solebat interdum id genus homines lauto convivio
excipere. Adstabat ipse accumbentibus, fercula suis manibus ministrabat, fla-
bello muscas avertebat: quæ cum fastidaret, mira suavitate perfundebatur.
Pauperes delicias appellabat suas. Quæ ipse possideret, sua ajebat non esse,
sed pauperum. Circa vite finem divisisse inter eos dicitur aureorum millia
ferme triginta. Denique in morbo extremo mendicorum ingentem gregem
rogavit perducere ad se. Hos alloqui supremum voluit, eorum aspectu multo
magis recreari se dicitans, quam frequentia procerum, a quibus officii causa
adibatur. Morientium viaticum accepturus, prius vota concepit, quæ apud
nos scholastici solent. Mox immortales Deo gratias agens, quod sacramento
religionis adstrictus naturæ debitum reposceretur, animam non pie minus quam
placide exhalavit, ætatis anno duodecimo. Elatus est magna frequentia po-

populi, cunctis sanctimoniam viri merita laude prosequentibus.

Etiã Sardinia duos ademit hic annus viros ob sanctitatis opinionem insignes, quorum memoria est litteris consignanda. Prævit F. Jacobus de Alagonio & Cardona, olim genere & opibus inter primos regni proceres clarus, postea virtutibus inter nos multo clarior. Cum esset annorum quadraginta, quatuor, spreto matrimonii prænobilis conditione, & hæreditaria quatuor oppidorum ditone abdicata, ut regum regi Christo militaret, transit in nostrum ordinem Calari, maluitque inter fratres rei domestica adjuutores, quam inter clericos recipi, studio humilitatis. Vix quinque post hæc annos confecit in Societate: sed quasi præsciis, brevi finitum iri laboris & patientia tempus, eoque magis festinandum ratus, uti coeperat initio ad omnem religiosæ virtutis perfectionem totis conniti viribus, ita perrexit usque ad extremum. Hanc habebat curarum fere præcipuam, ut nihil omnium omitteret, unde posset hominibus contemptui esse. Quæcunque itaque sunt humilioris operis in ministerio domestico, ea exercebat libentius, cum præsertim in oculis civitatis erant gerenda. Sæpe conspectus est mundare stabulum, ut mediastini solent: sæpe plenam purgamentis corbem deferre humeris ad sterquilinum: sæpe a foro, a macello, a prædio devehere per urbem cibaria, quippe socius obsonatori additus. Par domi humilitas, par in arripiendo despiciatissimo quoque munere alacritas. Hac animi præparatione venerat ad Societatem, ut persuasum haberet, se Patribus ut vere servum obsequi in omnibus, ac famulari debere: neque id homini de se humillime sentienti umquam excidit. Paupertatem habebat in deliciis. Præter alimenta & vestes, nihil omnium optabat, & in his etiam vilissima sectabatur. Coactus aliquando a custode vestiarii induere novam tunicam, commutavit illam statim cum alia lacera, attritaque, qua tironem indutum viderat. Leges omnes, & consuetudines disciplina domesticæ ita servabat, ut nemo magis. Quidquid faciendum in communi esset, aderat primus, vel inter primos. Quod si tamen interdum ad tintinum campanula minus prompte accurrisset, indicio id erat, stetitisse divinorum contemplatione defixum, & a sensibus alienatum. Namque inter orandum divina patiebatur sæpe, nihilque sentiebat eorum quæ domi fierent. Supremum ægotans, eam contraxerat stomachi debilitatem, ut quidquid cibi glutisset, confestim rejicere cogeretur: malum viro religiosissimo permolestum, ut quo impediiebatur Eucharistiam sumere. Rogavit supplex Deiparam, impetravitque quanto erat opus, ut sacri viatici particeps fieret, quo accepto, quasi summam votorum suorum confectus, ex hac vita migravit III. Nonas Januarii. Non usitata sanctitatis opinione domi forisque florebat, ejusque proinde funus Calaritani frequentia incredibili celebravere.

Alagonium eodem anno subsecutus est Saffari P. Salvator Pisqueda, operarius apud nos virtutum magnitudine illustris, & immortaliter memorandus. In oppido Saffaritanæ dioceseos, quod Ploagam vocant, natales habuit P. Pisqueda, parentibus pietate & genere honestissimis. Prius quam nasceretur, ejus matri uterum gerenti prænunciatum fuerat ab homine prorsus ignoto, parituram suo tempore puerum, cujus futurum esset clarissimum toto regno nomen: eum proinde Salvatorem appellandum, & Deo consecrandum curaret. Oraculo fidem ex parte affirmavit pueri vix nati infantia, in qua mira videre licuit futuræ sanctitatis indicia. Narrabat deinde ipse ætate provector arbitro conscientia suæ, sibi trium annorum infantulo abortum præter morem fuisse cœleste lumen, quo Dei notitiam assecutus, jam tum divino obsequio se totum devovit, magnopere cavens ne qua noxa animum inquinaret. His initiis cætera consenserunt. In Societatem transgressum Saffari, ubi litteris operabatur, urgebant cognati, ut rediret domum. Ille eorum preces & lacrymas fortissime repellens, diserte affirmavit, malle interfici, quam ab arrepto vitæ cursu deficere. Quem in tirocinio concepit pium ardorem, nunquam deinde passus est refrigescere usque ad ultimam senectutem. Sed quamquam cunctis virtutibus

emi-

156.
RES SARDINIÆ
Mors & elo-
gium Fr. Jacobi
Alagonii.

157.
Mors & elo-
gium P. Salva-
toris Pisquedæ.

emineret, obedientia visus excellere luculentius. Moderatorum vel levissimos nutus pro legibus totidem accipiebat, servabatque exacte, nec illos patiebatur, ubi aliquid faciendum jusissent, causas addere cur juberent: quippe obedientiam, aiebat, non rationibus, sed solo majorum arbitrio dirigi, ac gubernari. Extremo in morbo, coactus imperio rectoris aliquid de se dicere, quod cæteris prodesse posset, testatus est palam, annos amplius quinquaginta se, nec majorum jussa ulla, nec ullam ex tam multis legibus Societatis, sciemer prouderentque violasse: id quod nisi a tali viro, & in eo rerum articulo pronuntiatum fuisset, vix credibile videretur. Adeo multa, varia, & in speciem exilia sunt, quibus ratio nostra disciplina constat. Ferebatur in Deum charitate summa, nec ulli parebat operæ aut labori, ut ejus offensas prohiberet, & publicas peccandi causas tolleretur. Documento sit quod subijcio. Mulierculas nescio quas e meretricio quaestu abducendas susceperat. Id ægre ferentes perditissimi quidam iuvenes, Pisquedæ minaciter denunciant, ut incepto absistat: nisi fecerit, fustibus male multatum iri. Se vero, respondit Sacerdos impavidus, non solum fustes, sed mortem ipsam excipere non recusaturum ob ejusmodi causam. Quo reddito responso, perrexit nihilo fecius quod instituerat exequi, sui securus. Irritati iuvenes, viam obsident qua tranfiturum sciebant, facturi ex insidiis impetum in prætereuntem. Omnes fustibus instructi probe, ac pessime animati, perturbatorem importunum voluptatum suarum auide præstolabantur. Tamen ubi in conspectu fuit Sacerdos pius, subito quasi torpore correpti, non modo expedire fustes, sed ne loco quidem se commovere ausi sunt, oppressi, ut reor, viri specie venerabili, & colore illo sanctitatis, qui in ejus vultu plurimus elucebat. Multa dum viveret supra naturam usum præstitisse dicitur, plura etiam post mortem beneficia invocantibus detulisse, a quibus tamen ego abstineo, ne sim prolixior. Obiit vi. Cal. Apriles, hydrope, & longa tabe consumptus, annum agens ætatis septuagesimum secundum, in ita Societatis secundum supra quinquagesimum.

158.
RES
LUSITANÆ.
Obitus & elo-
gium P. Hiero-
nymi Alvarez.

Sua non desuerunt Lusitaniæ funera, digna litteris, & annalibus consignanda. Eboræ XIII. Cal. Februarii diem clausit P. Hieronymus Alvarez, anno ætatis sexagesimo, postquam fuerat in Societatem allectus quadragesimo sexto: vir, cum aliis nominibus, tum maxime ob relatas de inferno spiritu victorias illustris. Puero annorum tredecim, & jam nostri ordinis candidato, malus dæmon colaphum inflixerat, propterea quod de ineundo religiosa vita statu cogitaret, gravioresque minas intentaverat, nisi consilium abjiceret. Id optimum adolescentem a pio proposito adeo non deterruit, ut imo stimulos currenti addiderit quodammodo. Recte existimans, magnum aliquod bonum esse, quod ipsi hostis infensissimus tantopere invideret, ut huic ægre faceret, maturavit a paterna domo fugam, impetravitque tironibus aggregari, cum vix annum ætatis decimumquartum explevisset. Tirocinium emenso iterum se visendum obtulit infernus furcifer, ac parentem ipsius nuper mortuum formæ ac noto vocis sono referens, ipsum vero filii suavissimi compellans nomine, querula voce suadere adolescenti conabatur, ut male desertam domum repeteret. Agnovit stigi veteratoris fraudem superna perfusus luce adolescens pius: loquenti salutis humanæ signum objecit, & spectrum exegit. Multo tamen gravius periculum adiit natu jam grandior, hostem nactus tanto pejorem dæmone, quanto blandiorem. Mulier fuit clara natalibus, forma opibusque insignis, quæ Alvarezium misere deperibat, alebatque jamdiu cœcum intra venas ignem. Simulato demum negotio, quod cum illo communicatum vellet remotis arbitris, seductum in conclave intimum adoritur sermone impudenti & insidioso: instat lascivis artibus & illecebris, ut renuentem ad flagitium pertrahat. Cohorruit initio vir castissimus. Tum, relicto quod mulier petulans apprehenderat pallio, exiit ex ejus manibus: ejiciebatque se foras e vestigio, nisi abeuntem summis precibus detinisset mulier, famam illi suam commendans, ac futurum ostendens ut in manifesto crimine teneretur, si ipse ita se daret

daret in publicum. Sed qui manendum parumper censuit, ne nobilis femina infamiam proderet, simul vultum ad severitatem composuit, ac sermonem ejusmodi exorsus est, quo permota mulier respexit sese, facti turpitudinem recognovit, nec tale quid in posterum ausa est. Par in Hieronymo castitati charitas, par mansuetudo. Erat natura paulo fervidior, & in agendo subasper: at si quando durioribus quemquam verbis exceperisset, solebat quamprimum ad ejus pedes accidere, & veniam de genu rogare: quem morem vel in magistratibus obeundis, ac rector etiam collegii Ulyssiponenis retinuit, ut indolis vitium virtute corrigeret. Paucis ante obitum mensibus calculorum doloribus acerbissimis conflictatus, eos mira quadam animi excellitate pertulit, donec munitus rite morientium sacris, mortalem vitam reliquit.

Eodem anno Conimbricæ, pridie Idus Augusti, vivere desit P. Hieronymus Diaz, quem merito socii Lusitani quasi provinciæ columen, & communem parentem suum venerabantur. Inerant illi ab ipsa natura præclaræ dotes corporis animæque, quibus cum addidisset industriam, & bonarum artium multiplicem disciplinam, ita formaverat sese ad omnia instituti nostri munera, ut quodcumque capesseret, ad illud unice natus factusque videretur. A prima juventute concionibus habendis addictus fuit, vicitque in eo genere ministerii spem, quam de se maximam excitaverat, orator habitus illa ætate summus, & quem merito christianæ eloquentiæ studiosi sibi ad imitandum proponerent. Erat cæteroqui ejus oratio non nimis compta, nec inani verborum ornatu ad delectandum composita, sed plena succi ac sententiarum, gravis eadem, & vehemens, quibus accedente commoda actione, in audientium animos alte penetrabat, & facile mentes hominum ad studia virtutis inclinabat. Extra suggestum, vix alibi in conspectum hominum dabat se, solitus orandi scribendique studiis omne fere tempus impendere. B. Teresiam virginem sibi præ sanctis cæteris proposuerat, cujus virtutes imitaretur. Ad ejus proinde exempla vitæ suæ rationes, & acta componebat: eandem in meditando veluti duces ac magistras sequebatur. Extant conscripta ipsius manu adversaria, in quæ referre consuevit quas inter orandum experiretur divinarum rerum impressiones, indeque colligi non obscure potest, fuisse illi per quam familiarem cum Deo usum, & in hac vita mortali cœlestes interdum delicias animo prægustasse. A ministerio concionum ad gubernandum traductus, paternum ubique ac semper exercuit imperium. Nemo erat domi, qui non se rectori suo carissimum esse intelligeret: nemo, qui non illum vicissim in oculis ferret. Præerat collegio Conimbricensi tunc, cum eam urbem atrox pestilentia simul, & dira fames miserandum in modum premebant. Rebus tam afflictis, non eo contentus est providus rector, ut piacula multa sociis ad placandas cœlestes iras indiceret, sed eorum quoque necessitatibus opportune prospexit, perfecitque nequid illis ad vitæ usum, & ad tuendam salutem deesset. Eodem tempore, effusa ad externos charitate, ægrotis, egentibus, ærumnosis omnibus quacunque potuit ope subvenit, non sumptui, non labori parcens, ut publicam calamitatem levaret. Ejus charitatem par humilitas commendabat. De se, ac rebus suis Diazius tam abiecte sentiebat, ut se nullius hominem passim dictitaret, negaretque dignum esse, cui quisquam vel simplici detractioe pilei honorem exhiberet. Cum morbo laboraret extremo, secundum urendumque præbuit chirurgis corpus tam placide, ac si sensum omnem doloris amisisset. Obiit plenus dierum, ac meritum, annos natus octoginta duos, quorum tres & sexaginta transegerat in Societate. Mortuo concursu non usitato parentatum est.

Eorum interea, quos hæctenus laudavimus, æmulatores non pauci supererant in Lusitania, quorum modo acta evolvenda suscipimus. Paraverat hoc anno Rex classem ingentem contra Batavos, qui, ut infra dicemus, Bahiam Brasiliæ caput invaserant. Cum Ulyssiponem convenissent milites in regionem conscripti classem, homines nostri faciendum sibi duxerunt, ne illi naves ante confunderent, quam christiana sacra perciperent: namque ita fore, ut ad-

To. I.

V u u

ver-

159.

Mors & elogium P. Hieronymi Diaz.

160.

Milites classarii expiantur Ulyssipone.

161.
Unius mira vir-
tus post confes-
sionem.

162.
Adolescens à
servitute dæmo-
nis liberatur.

163.
Fructuosa mis-
sio ad urbem
Paccjuliensem.

164.
Res gesta in
aliis provinciis
partibus.

versus maris bellique pericula coelesti præsidio munirentur, majoremque animum, ac virtutem in utroque discrimine præ se ferrent. Salubre consilium ipsi milites probaverunt. Ex omni eorum numero vix inventus, qui non apud nostros piacularem confessionem perageret. Unus præ cæteris, qui jamdiu ad omnes conscientia stimulos occalluerat, & confessionem ut omen vicina mortis horrebat, cum similiter induxisset animum ut onera conscientia deponeret, tanta est suavitate perfusus, ut videretur sibi revixisse quodammodo, nec cessaret Deo O. M. agere gratias, quod talem sibi mentem superne injecisset. Huic paulo post adstitit malus dæmon venusta puella forma perspicuus, instabatque pellacibus blanditiis, ut in flagitia pristina consentiret. At surdo cecinit. Homo divini Numinis metuens, nihil ad ea, nisi quod supplex invocavit Deiparam, cujus vix prolato nomine, inanis forma in auras dilapsa est: ac ne dubium esset de inferni spiritus indignatione ac fuga, auditus eodem tempore dissonus quidam fremitus, quasi turmarum accepta clade fugientium. Ibidem adolescens fuit perditissimis moribus, qui domi vincitus attingebatur a patre, propterea quod sublatam furto ingentem pecuniam vinludo contrivisset. Is vinculorum impatientia in summam prolapsus animi agritudinem, mali dæmonis opem quaesivit. Adfuit vocanti nequissimus, & operam obtulit suam, si modo de certis conditionibus convenisset. Nullas recusavit leges incautus adolescens. Fit ergo pactio iniquissima, ut ille perpetuo se futurum spondeat in potestate dæmonis: hic vicissim libertatem illi reddat, pecuniam provideat, ludumque fortunet in posterum. Pacto subscripserat adolescens, & chirographum dæmoni habendum permiserat. Pacti fidem non sefellit stigijs foenerator. Solutus vinculis, & argento donatus, redierat jam in conventus pristinos aleator, ac brevi magnam pecuniam collegerat, numquam fallente ludi fortuna. Verum inter hæc miser sævis æstuabat conscientia fluctibus, recurfabatque subinde menti, quo se præcipitem egisset, quod pactum exstaret, quod chirographum: quæ cum animo suo reputans, nullam partem quietis capiebat. Incertus quo se verteret, adit nostrum Sacerdotem, angores illos suos, & eorum causam aperit. Sacerdos benigne susceptum, & in spem salutis erectum admonet, ut malo remedium his maxime artibus quarat. Primo, facti poenitens, labes eluat animæ confessione piaculari: deinde pecuniam male partam, aut restituat dominis, aut in pauperes eroget. Postremo, ut infet pacem Numinis exorare precibus, ac jejuniis. Fecit imperata adolescens, nec frustra. Dum pergit se salubriter discruciare, ex insperato chirographum impiæ stipulationis inter purgamenta domus projectum recepit.

Eodem anno non unæ peractæ sunt missiones in Lusitania, ex quibus nos brevitati servientes unam & alteram duntaxat commemorabimus. Est ad fines ejus regni civitas, Pacem juliam nominant, quam hoc tempore nobilium odia factionesque miserabili modo seindebant. Magistratus urbis, ut publicæ tranquillitati consulerent, par nostrorum petierunt a rectore collegii Eborensis. Petentibus dati cum fuissent duo lectissimi, eorum labore & industria nihil acerbatis in urbe relictum est. Capita factionum, non modo in mutuam gratiam redierunt, sed amplexibus & osculis redintegrata concordia publica documenta præbuerunt. Quam jucundum id acciderit civitati, testata deinde sunt lacrymæ civium, qui abeuntes Patres longe extra urbis portas cum faustis comprehensionibus, & largo fletu deduxerunt. Sic ab illis gesta res intra unam tantummodo civitatem. Interim alii duo e collegio Bracharensi in apertum progressi, totam peragrarunt regionem, quam Interamniensem vocant, nec mediocrem peregrinationis, & laboris fructum ceperunt. Cujusmodi tamen ille fuerit, non exequemur prolixius, ne res alibi sæpe expositas iterando, fatietatem legentibus afferamus. Portuensibus utilem se Societas hoc anno præstitit in gravi periculo, quod nostrorum interventu discussum est. Nam cum novum urbi vestigial fuisset impositum, populus in eadem auctorum concitatus ad arma conclamabat. Medii advenerunt Patres, & seditionem gliscentem feliciter con-

comprefferunt. Majoris negotii fuit sedare procellam domesticam, qua seminarium Hibernorum nonnihil jactatum est Ulyssipone. Seminarium istud, jam inde cum Ferdinandi Ximenii liberalitate conditum, ac perpetuo censu dotatum fuit, rectores habere cœperat de Societate, nec habuerat hæctenus, nisi petitos ex eadem Hibernorum gente Patres. Jam vero alumni, perinde quasi ea consuetudine jus quoddam adepti essent habendi semper rectorem e suis popularibus, non patiebantur imponi sibi P. Alvarum Tavarium patria Lusitanum, ejusque imperium contumacius aspernabantur. Alumnorum causam cum tuerentur aliqui ex externis, ea res sollicitos habebat Patres, ne quid Præpositi generalis auctoritati detraberetur. At hunc illis metum exemit æquitas Regis, ad quem causa delata. Placuit nimirum Regi, jus esse moderatoribus Societatis rectorem statuendi quem mallent, nullo nationum discrimine. Quod decretum statim atque alumnis denunciatum est, tumultus conquievit, & hiscente nemine Tavarius magistratum iniit.

Dum hæc in provincia Lusitana gerebantur, Goæ venerabile corpus S. Francisci Xaverii ex veteri S. Pauli æde ad novam Professorum basilicam translatum est. Acta porro res cum insigni celebritate. Loculum paraverant e foliido argento, mira gemmarum varietate distinctum, cui sacrum pignus cum fuisset inclusum, onus subjerunt ex Minorum ordine sacerdotes sacrificiali tunica induti, & ferculum suppositis humeris devexerunt. Præiverunt longi supplicantium ordines, intercurrentibus per intervalla tensis ornatissimis, in quibus splendida simulacra conspiciebantur. Sed quam magnifico, quam vario pomparum genere res illa acta fuerit, nos non explicabimus fufius, tum quod præter modum longa esset narratio, tum etiam quod extat earum rerum proluxa descriptio typis edita. Prius quam hæc agerentur, pari magnificentia ac pietate celebratum fuerat Goæ novendiale festum in honorem Ignatii, & Francisci Xaverii, quos audierant recens Ecclesiæ fastis adscriptos: quod festum ea de qua dicebam supplicatione finiri placuit. Nec vero commiserunt beati urbis patroni, ut civēs ita de se meriti carerent fructu pietatis, & munificentiae suæ. Multa suis clientibus beneficia contulerunt, multis miraculis inclaruerunt. Unum afferre in medium juvat miraculum B. P. Ignatii, quod visum præ cæteris memorabile. Gerebat uterum mulier nescio quæ, sed gravi oppressa morbo, foetum jam biduo mortuum abigere non valebat. Cum desperaretur ejus salus, vocatur qui morienti assistat Sacerdos Societatis. Toto jacentem corpore, & omni sensu destitutam Sacerdos reperit, ut putaretur quam proxime animam efflatura. Eam nihilominus, contenta quantum poterat voce, admonet, ut supplex S. Ignatii opem exposcat. Ad hanc vocem, quasi excitaretur e somno ægrota, aperit repente oculos, & labia in modum tacite precantis movet. Nec multo post, abactio feliciter foetu, refedit ita valens, ac si nunquam ægrotasset. Gestiebant gaudio domestici, & tam mirificam incolumitatem feminae gratulabantur. Illa de infantuli salute sempiterna sollicita, exanime afferri ad se corpus jubet, quod ulnis sustinens: *Ades, inquit, Ignati beatissime, & beneficium perfice. Quam pro eximia tua benignitate produxisti matri vitam, filio restituas precor.* Nondum finierat precem, cum infans certum indicium vitæ præbuit, edito levi motu corporis, & emissa lacrymula. Baptismo tingitur statim, ac post paulo animam cœlo inferendam exhalat. Eo factio aucta omnium admiratio in tantum, ut ex ipsiſ Angliſ heterodoxis, qui tunc forte Goam appulerant, viginti ad Ecclesiam transierint, ostenti tam manifesti fama permoti. Rem porro, ut a nobis narrata est, magistratus Ecclesiæ publicis tabulis consignandam curavit. Eodem anno erectum est Goæ sub invocatione Deiparæ nascentis sodalitiſ, quod urbi utilitates ingentes attulit. Sodalibus, præter cætera pietatis studia, hæc imposita lex, ut bis intra mensem ægros in publico nosocomio decumbentes inviserent, reficerentque: tum ut egenis operam gratuitam in causis agendis impenderent, & ad redimendas creditorum molestias pecuniam, si opus esset, repræsentarent. Quo instituto apertus christiana

T. I.

V u 2

cha-

165.
Turbæ ortæ
Ulyssipone in
seminario Hi-
bernorum.

166.
RES GOANÆ.
Corpus S. Fran-
cisci Xaverii
transfertur in
novam ædem.

167.
Insigne miracu-
lum S. Ignatii.

168.
Pium sodali-
tium de novo
instituitur Goæ.

169.
Sodalitium
aliud erigitur
Benaulini.

charitati latissimus campus, & multorum ærumnæ sublevatæ. Benaulini etiam, qui Salfettarum pagus est non ignobilis, sodalitas hoc anno est instituta sub titulo nostræ Domine de salute, quam magno sibi usui esse oppidani senserunt. Sodalitati allesti sunt promiscue cives ex omni ordine, nobilioribus ultro consentibus, nihil interesse quo quisque esset genere, modo christianus. Id vero, præter alias leges, omnibus in communi propositum, ut viverent ipsi conjunctissimis inter se animis, & suborientes discordias de sua civitate tollerent. Charitatis officium, cum ubique utile, tum in India maxime necessarium; vix enim arbitror esse, ubi sator dissidiorum diabolus majorem odiorum, ac simultatum sementem faciat.

170.
Sociorum Mogolenfium labores infructuosi, & quare.

Socios interim, qui in regno Mogolico versabantur, nullus laborum fructus recreabat, sola spes legendi olim fructus uberrimi sustentabat. Spem istam faciebat præcipue Rex promissis ingentibus, & egregia, ut apparebat, ingenii docilitate: at idem præsentis sterilitatis in causa erat. Quamquam enim pelli quotidie magis videretur christianæ legis sanctitate & pulchritudine, nunquam tamen inducebat animum, ut superstitiones patrias abjiceret, ejusque prohibebantur exemplo populi, ne fidei doctrinam reciperent. In hoc rerum statu novus ex insperato ager objectus est Patribus, ubi semen divini verbi jacere posthac fructuosius possent. Agram advecti peregre quidam christiani mercatores, narrabant, ad eam plagam qua Mogolicum imperium desinit, inter septentriones & ortum solis, regnum esse Thibeti, spatii amplum, & incolis frequentissimum; gentis benignissimam esse indolem, mores honestos, instituta autem ejusmodi, ut regionem Christianorum crederes. Reipsa plantatam fuisse olim inter Thibetanos Christi fidem, multis exploratissimum erat, eaque laus tribuebatur religiosissimis magni Francisci filiis, quos constabat sæculo XIV. ineunte pervasisse ad Scythas, totamque fere Asiam inter Sinas & Eufratem peragravisse. Utcunque esset, moti hospitem relatione Patres, consilium ineunt illuc penetrandi, ubi tam lata spes ostenderetur rerum prospere gerendarum. Decernitur ergo expeditio Thibetana, de qua nos hoc loco dicturi, negligemus paululum rationem temporum, quæque acta sunt spatio annorum tredecim uno contextu exequemur, ne sæpe narratio ejusdem rei sit abrupta.

171.
Decernitur expeditio in Thibetum. Quæ regio ea sit.

Primus omnium tentare iter, & explorare regionem statuit, qui sociis ceteris præerat, P. Antonius de Andrada, vir apostolici spiritus, & animi adversus difficultates invicti. Assumptis itaque viæ comitibus Fr. Emmanuel Marquello, & duobus famulis, Aprili ineunte venit ad radices Caucasi, quo fines imperii Mogolici terminantur. Totam ferme Asiam ab occidente in orientem perpetuo jugo percurrit Caucasus, eamque bifariam dividens, simul protendit hinc inde aliquot quasi brachia, quorum ambitu regiones plures complectitur. Non idem ubique retinet nomen, nec præruptus ubique, ac confragosus est æque. Verum ubi veterem Indiam (nos Indostanum dicimus), & Mogolicum claudit imperium, attollitur in immensum: amœnus ille quidem a radicibus dimidio tenus, idem frugifer, & dulcium aquarum scatebris irriguus; at sursum usque ad verticem, nudis rupibus, & horrentibus scopulis tremendus. Per hujus abrupta jugi via difficilis, seu potius nulla. Tantum semita in vivo lapide velut excisa ferro, vixque unum lata palmum, unde si fallente pede excideris, ruas in præceps, inter acuta prominentium saxorum capita membratim discerpendus. Auget horrorem fragor aquarum, quas Ganges intra imas angustias rupium longe sonantes impellit: & plus etiam quam fremitus terret undarum rapiditas, quoties trajiciendus est annis. Non enim ponte vel navibus transmitti potest, sed tantum funibus ex utraque ripa protentis.

172.
Primus itineri difficillimo se committit P. Antonius de Andrada.

Has primi itineris difficultates Andrada feliciter superaverat, cum alia supervenerunt graviores. Est Mogori confinis Sirinagar, regio aspera & montana, nomen habens ab urbe totius provinciæ primaria. Qui tunc rerum potiebatur Sirinagare, vestigial pendebat Regi Mogolico, neque solum cavebat quam maxime, ne quam offensionis causam præberet principi tam prævalido &

173.
A Rege Sirinagareno detinetur in carcere.

vicino, sed præterea nullam ejus demerendi occasionem prætermittebat. Præter alia obsequii documenta, si quem deprehendisset intra regni sui fines transfugam ex Mogolibus, cum solebat sistere, & cum fide reddere magistratibus magni Mogoris. Jam ergo de nostris viatoribus mota suspicio, an essent transfugæ? Essent, nec ne, eos Rex Sirinagarenus comprehendi jubet. Ita capti, hæserunt per aliquot dies in vinculis, donec veram itineris causam aperientibus fides est habita. Postea quam fuerunt dimissi, porro tendentes, pervenerunt ad rupes in immensum editas, omniumque quas hæctenus viderant asperrimas, quarum per angusta divortia sæpe recurrebat a fronte Ganges, brevi alveo torrens, ac multiplici ambitu flexuosus. Hunc transmittere iis locis, atque hoc anni tempore, summe periculosum. Nullis enim jungitur pontibus, nisi temere factis ex nive gelu durata. Nimirum hieme sæviente, in editissimo illo jugo nivis immensæ coalescunt moles, quæ paulatim, vel sua gravitate, vel pulsu ventorum ruunt in præceps, obstruuntque hiatus scopulorum, quos Ganges intermeat: dum vero annis suo impetu viam sibi per obstantem aperit nivem, relinquuntur ex parte superiori quidam quasi arcus niveus, qui fluminis utrumque marginem jungit. Genus pontis, ut rigente hieme satis firmum tutumque, ita mitescente anceps & fallax. Nix quippe ita concreta, gelu sensim imminuto, mollescit, pressaque supergradientium pondere, sub eorum vestigiis dehiscit interdum a summo ad imum. Horum nihil terruit Andradam: Deo protegente, montes illos altissimos, ac nive coopertos superavit, annum quoties opus fuit trajecit incolumis, ac denique Manam venit, ultimum Sirinagarenæ provinciæ vicum. Ibi paululum respiranti novæ difficultates objiciuntur. Procefferat jam dies ferme quadraginta, & adhuc aberat Thibeto viginti circiter dierum itinere. Quod erat viæ reliquum, per meras solitudines, nive perpetua constrictas, nec nisi æstivis mensibus pervias peragendum erat. Manenses negotiatores cum Thibetanis mercimonia exercentes, etsi regionis periti, non solebant proficisci nisi proveستا æstate, ibantque plerumque omnes uno & maximo comitatu: nunc vero rogati ut se comites adjungerent nostris, diserte negabant se facturos, itineris difficultate deterriti. Nihilominus Andrada, relicta Manæ Marquesio & sarcinis, dat se in viam cum duobus duntaxat famulis, & viæ duce, quem mercede conduxerat. Ferrebant singuli humeris cibaria dierum viginti, & stragulum, contra vim frigoris munimen unicum, at nimis tenue: quo pressi onere, ægre in præalta nive vestigia moliebantur. Toto biduo spatium confecerant admodum breve: cum deprehensi a cursore, quem Manensis Præfectus post eos miserat, jubentur Manam confestim regredi, infortunium habituri, ni jussa facerent. Territus minaci denunciatione viæ dux, pedem continuo retulit. Andrada nihil commotus, institit cum duobus famulis porro pergere. Ibantmersi nivibus, alibi humero tenuis extantibus. Tectum ubi quiescerent, nusquam occurrebat: manentibus noctu sub dio, nix pro lecto erat, quo in lecto afflati plerumque prægelido sævoque vento, & interdum niveo imbre compluti, somnum frustra captabant. Tamen fiducia animum sustentantes, animo corpus, ac modicis itineribus progredientes, evaserant post aliquot dies in jugum eminens, unde in subjectam Thibeti planiciem prospectus patebat. At planiciem istam, cateroqui conspicuam, nemo ipsorum videbat vitio oculorum, quibus tandiu nihil nisi nivem intuitis, lux niveo candore repercussa aciem hebetaverat sic, ut jam alba omnia, & nive conspersa viderentur. Hoc igitur primum loco defecit nostros viatores animus, & constantia. Destituti duce, fessi, nec indicia viarum internoscentes, recurrere Manam statuunt ad comparanda cibaria, quorum perexigua portio supererat. Ille suberat metus, ne a præfecto Manensi attinerentur in vinculis, propterea quod vocanti non satis prompte paruisent. Verum id tolerabilius videbatur, quam in deserta solitudine frigore, & penuria emori. Ecce autem retro viam relegendibus, & jam iter tridui remensis commodum occurrit missus a Marquesio vir cum utilium copia, & litteris.

Erat

174.

Dimissus progreditur inter gravissimas difficultates.

175.

Deseritur in mediis nivibus a viæ duce.

176.

Decreatur oportune, & usque in Thibetum pervenit.

Erat in his litteris, placatum esse donis præfectum, nec abnuere quominus ulterius progredierentur: quem viderent hominem, gnarum esse regionis, & itinera demonstraturum: brevi etiam venturos cum amplo comitatu Manentes negotiatores, a quibus fuisset impetratum, ut consuetum itionis tempus præverterent. Recreatus litteris Andrada, & viatico opportune instructus, propitio Numini gratias egit. Tum novum ducem secutus, descendit in planiciem, ubi nix magna ex parte defluerat. Specus erat in latere vicini montis ampla, & ad qualemcunque diversorii usum accommodata. Ibi substitit cum sociis, donec post dies non ita multos adfuere mercatores, & Frater Marques, quibus se comitem addens, viam reliquam feliciter confecit.

177.
Excipitur per-
honorifice in
urbe Thibeti
primaria.

178.
Regem docen-
tem, ac reli-
gioni propitium
reperit.

179.
Thibeto digre-
ditur: redit
cum tribus so-
ciis. Missionis
primi fructus.

Prius quam Thibeti fines ingrederetur, antegressi ad urbem regiam Caparangium aliqui mercatorum, retulerunt ad Regem de nostrorum adventu, eorum laudibus aulam universam impleverant. Permotus relatione Rex, misit continuo extra urbem delectos viros, qui subeuntes hospites ipsius nomine salutarent, ac totidem equis egregie instratis donarent: quæ res de advenientibus Christianorum ministris miram expectationem excitavit. Itaque cum affuerunt nostri, ab urbis ingressu usque ad paratum hospitium, quacunque transeundum fuit, viarum latera referta viris, oppletas feminis fenestras, omnium oculos in se defixos viderunt. Cæterum toto triduo Rex, ad tuendum regia majestatis fastigium, abstinuit publico, nec sui copiam fecit hospitibus. Triduo exacto, adest missus ab aula internuncius, quidve sibi velint Patres tam peregre venientes, quarit nomine principis. Respondit Andrada, id nempe unum esse, quod valde cuperet ipsi coram exponere, si daretur colloquendi facultas. Rex, qui colloquium istud optaret avidissime, responso delectatus, vocat ad se Andradam postredie, remotisque arbitris præter interpretem, Regina, tamen post velum audiente, effari fidenter jubet quæ velit. Longam orationem exorditur Sacerdos de christiana religione, quæ via ad æternam felicitatem unica, ac certa esset. Hujus, addit, interpretem ac ministrum esse se: venisse per immensa oceani ac terrarum spatia, perque viarum sexcentas asperitates, ut rectam christiani cultus formam traderet Thibetanis: non aliud modo querere, nisi jus domicili, & divinæ legis promulgandæ facultatem. Hæc ubi interpretes retulit, vix credibile quanta Regem, & regiam conjugem admiratio ceperit. Ambo sacerdotem Christianorum suspicere, ambo pari flagrare studio christiænæ legis penitus cognoscendæ. Nec vero relanguit hic ardor mora, sed crevit potius: ut miraretur populus, tantopere coli a Rege ac Regina advenam cultu inopem, abjectumque, admitti in aulam quotidie, ad plures horas familiariter detineri. Donis & honoribus cumulari. Andrada interea, res fluere fatis belle videns, & ex tam latis initiis spe majora præcipiens, festinabat in Indiam recurrere, tum ut Provinciam de statu rerum doceret, tum vero maxime, ut sociorum auxilia exposceret. Commeatum petenti agre dedit Rex, nec aliter dedit, quam fide prius accepta, reversurum brevi cum manu sociorum. Addidit amplissimis conceptum verbis chirographum, quo hæc spondebat: Liberum fore Patribus divinam legem ubicunque vellent intra fines regni Thibetani tradere: daturum se illis locum idoneum Caparangii, ubi ecclesiam edificarent: christianam religionem allatrantibus nunquam se aures præbiturum: denique non alium sibi, præter ipsum Andradam, fore Lamarum principem, idest magistrum religionis. Lamas enim Thibetani suos sacrificulos vocant. His ita ex sententia confectis, Andrada, viam eandem qua venerat relegendis, sed mitiori tempore, paucioribus diebus, nec ita magno incommodo ad stationem suam Mogolicam rediit; missaque continuo Goam ad provinciam Andream Palmerium corum quæ acciderant relatione, tres accepit pro Thibetana missione socios, P. Adamum de Angelis, P. Joannem Oliveira, & rei domesticæ adjutorem Faustinum Barreiros. His deinde comitibus, in Thibetum quam celerrime regreditur, anno postquam discesserat nondum elapso. Non est dictu facile, quam cupide reducem expectaret Rex, quibus benevo-

len-

lentia significationibus venientem exceperit. Neque vero distulit promissorum fidem servare. Structa est paucis mensibus Caparangii in usum christiana religionis ecclesia. Baptismo donati nonnulli, plurimorum inter cathecumenos recepta nomina. De se Rex affirmabat, velle quamprimum cum conjugē, & filio parvulo baptismi sacris initiari: sed obstare in presentia Lamas, homines maxime turbulentos, numero opibusque prevalidos, quos non posset irascētes contemnere, nisi prius eorum vires attrivisset. Id se facturum sensim, ac sine strepitu promittebat. Verumtamen pauciores videri sibi pro rerum gerendarum magnitudine Patres: augendum eorum numerum: pecuniam in sumptus necessarios se daturum. Quæ cum ex animo diceret, donavit nummorum cruciatorum quatuor millia & quingentos. Serio agi sentiens Andrada, mittit e vestigio Goam Fr. Emmanuelem Marquesium, ut inde duos saltem adducat in Thibetum socios. Simul e statione proxima Mogorensium, cui adhuc præerat, Patres Franciscum Godinium, Gundisalvum de Sousa, & Antonium Pereira ad se evocat. Jam enim majoraolvebat animo. Posuerat novum domicilium Rodox, quæ urbs est reguli Thibetano accole, parabatque inde gradum facere ad ulteriora Scythiæ, quæ immenso terrarum tractu diffusa, a pluribus, & inter se diversis habitatur populis Tartarorum. Brevi affuerunt socii Mogorenses, jamque opus urgebant non pœnitendo successu. Verum inter hæc, Andrada ad provinciæ regimen evocato Goam, spes de Thibetanis concepta penitus evanuerunt. Eadem porro clades Regem, ac religionem afflixit, ut modo aggredimur explicare.

Rex Ladacensis gerebat cum Thibetano bellum internecinum, veterem injuriam persequens, quam sibi immerenti irrogatam dolebat. Pugnatum hactenus hinc inde fuerat successu vario, alternante ut solet belli fortuna, jamque in unam, jam in alteram partem inclinante. Sed Thibetani, impatientius ferentes quæ consequi bellum diuturnum solent ærumnas, Regi succensebant suo, utpote malorum auctori unico, ac parum justo. Æquius putabant scilicet de illata injuria honestis conditionibus satisfacere, quam læso resistere pertinaciter, & sanguine populorum defendere malefactum. Populo sic animato novæ odii faces subjecerunt Lamæ, quorum minuendis viribus Rex, uti promiserat, erat intentus. Dum enim in eos inquiri severius, dum quosdam in manifestis criminibus deprehensos opibus spoliat, alios loco movet; efferati mortalium nequissimi, atque hoc, ut rebantur, debonestamentum ordinis sui non ferendum rati, in perniciem Principis conspiraverunt. Sollicitatis ad defectionem multis, multis item in scelesti consilii societatem adscitis, significant Ladacensi, nisi cunctetur accedere cum qualicumque copiarum numero, se cum parte maxima popularium ad ejus signa transituros. Neque vero fefellerunt fidem. Venerat cum exiguo exercitu Ladacensis. Accurrentibus undique conjuratis, statim est auctus in tantum, ut non auderet Thibetanus in tanta inæqualitate virum aperto marti se committere. Includit ergo se in arcem natura & opere præmunitam, instructam milite, comitatibus abundantem, deliberatum habens longam obsidionem sustinere, donec fatigatus irrita labore hostis ad formam aliquam honestæ compositionis descenderet. Consilium prudenter compositum, si modo Rex homo esset, feliciter succedebat. Sed deceptus suorum consiliis princeps parum sagax, stultaque exillimans, placatum libera deditio barbarum libertatem & regnum victo redditurum, cum posset bellum trahere, maluit victoris arbitrio se permittere. Sensit tamen brevi, quam rara sit moderatio in victoria, quam non speranda regni largitio. Oneratus vinculis, Ladacium abductus est cum conjugē, & filio regni hærede unico, ubi quem habuerit miser exitum, ex nostrorum litteris comperire non potui. Quod nimis certo constat, regis Thibetani tam acerbo casu, spes nostrorum in ea terra penitus conciderunt. Neophytorum alii fuga dilapsi sunt, alii in servitum abducti: grege autem disperso, pastores in summam rerum desperationem acti. Duæ, uti diximus, erant sociorum stationes in Thibeto: prima & potior Caparangii in urbe

180.
Alii submit-
tur in Thibe-
tum Patres.

181.
Lamæ contra
Regem Thibe-
tanum conspi-
rant.

182.
Qui Regi La-
dacensi ultro se
dedit, & regno
spoliatur.

183.
Cladem Regis
sequitur Eccle-
siæ nascens ex-
cidium.

urbe regia, Rodox altera. Hanc Ladacensis funditus evertit, quique in ea degebant Patres, suis omnibus dispoliati, & in turba captivorum abacti fuerunt. Priorem reliquerat ille quidem intactam: sed Præfectus urbis, homo immanis & ferox, adeo vexare eam cœpit, ut Patres omnium inopes, desolati, contempti, nec ullum invenirent inopiæ subsidium, & inanem potius gererent Apostolici ministerii speciem, quam qualemcunque sperare ex suis laboribus fructum possent.

184.
P. Andradæ Provincialis missionem Thibetanam conatur restituere.

Hæc utcunque tristitia, Goam delata, minime movebant provincialem Andradam, ut Thibetum deserendum putaret. Certus conari prius omnia, quam opus auctore Deo inchoatum abrumpere, P. Franciscum Azevedum ire jubet ad Regem Ladacensem, ut per eum liceat nostris hominibus in Thibeto consistere. Quam facultatem cum exculpisset a barbaro, alios atque alios mist delectos ex flore totius provinciæ operarios, qui rem eo loco afflictam ac perditam, si qua fieri posset, restituerent. Nihil confectum est. Ut sibi non deessent Patres, laboris immensi nullum pretium faciebant. Thibetani, de futuris post vitam rebus parum solliciti, indicas tantum poscebant a nostris merces, nihilque afferentibus aliud quam fidem Christi, & salutis æternæ spem, nec aures dabant. Quæ Patres secum agitantes, post aliquot annorum inutilem moram, deliberare inter se ceperunt, an non verius utiliusque futurum esset inde migrare, ubi nulla ostenderetur meliorum temporum spes, & evangelicum semen alio transferre. Non ausi facere moderatorum injussu, socium ablegarunt Goam cum litteris ad Provincialem, ut respecto rerum præsentium statu, decerneret quid factum esset opus. Successerat Andradæ in administratione provinciæ P. Alvarus Taviarius. Is, ad rem tantæ molis deliberandam, tredecim in consilium adhibuit Patres, ætate, ac rerum usu gravissimos. Una omnium fuit sententia, Thibetanam missionem omnino dissolvendam videri, tum propter soli miram sterilitatem, quæ tot operariorum industriam tandiu fefellisset, tum etiam quod constitutis Goæ pensionibus diutius sustentari non posset. Quam sententiam comprobans Provincialis, socios revocavit, ea tantum adhibita cautione, ut Sirinagare morarentur Patres Ludovicus Malpica, & Andreas Pereira, revoluturi scilicet in Thibetum, si qua spes exitus melioris afflisset. Et vero reditum tentavit, ut mox dicam, post aliquot annos Malpica, nullo licet effectu. Pereira ne tentandi quidem facultas fuit, quippe quem ob Judaici sanguinis maculam, cujus non ambigua afferebantur indicia, Mutius exauctoravit. Soluta in hunc modum Thibetana missione, doluit vehementer Mutius, periisse ingentem spem ex prioribus relationibus conceptam de successu illius. Augebant ejus ægritudinem Goensium sociorum nonnulli, qui Provincialis in re tali festinationem secretis litteris accusabant. Quare Taviario rescribens, magnopere questus est, negotium Thibetanum non pro rei magnitudine, nec ut monstrabant majorum exempla gestum fuisse. Debuisset filios Societatis adversus gentis quamcunque contumaciam obdurare magno animo: debuisset minas, odium, & infestationes quaslibet constanter ferre: omnia experiri prius debuisset, quam loco cedere. Jubebat postremo, ut mitteretur in Thibetum nova sociorum manus, quæ desertam stationem repeteret.

185.
Andradæ successor P. Alvarus Taviarius missionem dissolvit.

186.
Mutius factum improbat, & instaurari missionem jubet.

Obierat Taviarius, cum hæc Generalis mandata Goam venerunt. Qui illi successerat P. Emmanuel Almeida, facile vidit in ea re Mutium paucorum quorundam opinionibus nimis tribuere. Tamen vir moris antiqui, non interpretanda præsidis imperata, sed obedienter facienda existimans, tres elegit statim ex tota provincia sacerdotes omnium judicio probatos, Thomam Barros, Ignatium a Cruce, & Aloysium Gamam, curavitque ut quam primum itineri se committerent cum Fratre Emmanuele Marquesio, qui ob regionis & gentis peritiam magno futuro usui putabatur. Profecti sunt alacritate incredibili Patres. Sirinagarim cum attigissent, unum alterumve de suo numero præmittendum censuerunt ad explorandos Thibetanorum animos, & quasi tentandi vadi causa, ne simul omnes in ejusdem discriminis aleam se darent. Ad periculum facien-

187.
Alii mittuntur Patres ad rem tentandam.

faciendum nemo aptior visus P. Ludovico Malpica, sextum jam annum agente inter Thibetanorum accolos Sirinagarenos, & Fr. Marquesio, qui proinde in Thibetum pariter contenderunt. At spe citius rediit Malpica, rerum omnino desperatarum durus nuncius. Narrabat, in ipso Thibeti aditu se & Marquesium fuisse captos ab incolis, coniectosque in vincula, propterea quod alii olim Patres, contra quam denunciatum ipsis fuisset, Thibeto excessissent injussu regis, nec abeundi facultatem pecunia redemissent. Se quidem ex vinculis, elusa custodum vigilantia, feliciter aufugisse: sed Marquesium ex fuga retractum, traditumque in arctiorem custodiam, urgeri plagis, ut libertatem ingenti pretio pacifceretur. Aequatam solo esse Caparangii ecclesiam, insensum Regem, concitatos contra nomen christianum Lamas, gentem universam a Christianorum sacris incredibiliter abhorrere. Hæc se certo cognovisse ex relationibus accolarum, quorum multos sedulo ac diligenter interrogasset. His rebus cognitis Patres, non ultra progrediendum putantes, scripserunt ad Provinciale de statu rerum, ut tunc erat, prorsus irreparabili, ejusque placitum exquiserunt. Ut compertum est Goæ, quo res Thibetanæ essent loco, mutarunt enim vero sententiam illi quoque, qui Tavarii consilium antea improbaverant. Visum omnibus temerarium in re tam ardua, quæque magno sumptu, fructu nullo tentata toties fuisset, obstinare diutius. Quocirca Provincialis missos in eam expeditionem socios in Indiam revocavit, nec ab eo tempore usque ad hanc nostram ætatem quemquam alium Societas in Thibetum misit. Nam Thibetum illud, quo postremis hæc temporibus Præpositus generalis Tamburinus misit Roma P. Hippolytum Desiderium, est quidem provincia ejusdem nominis, sed loco longe diversa, multo scilicet orienti propior, & Sinarum fere confinis. Sed neque hic sedem fixit Societas. Desiderius enim, altioris imperio potestatis, coactus est ea novalia alterius ordinis operariis excolenda relinquere. Atque hæc summa rerum ad Thibetanam missionem pertinentium.

Revertimur ad seriem temporum, unde nonnihil excessimus, intraque provinciæ Goanæ fines stilum continentes, quæ hoc anno gesta sunt in Africa paucis exequenda suscipimus, initio ducto a Cafris, qui extremam Africa plagam a meridie incolunt. Vix annum egerat P. Emmanuel Medonza in vico, cui nomen Chembe, & jam gregem neophytorum non aspernandum collegerat. Vulgo persuasum erat, Castros ingenii tam rudis agrestisque esse, ut quantavis cura docerentur, religionis mysteria nec discere ullo modo, nec retinere possent. Tamen Medonza agmen ducebat puerorum circiter quadraginta, qui catechesim tenebant probe, & memoriter concinebant. Accidit inter hæc ut dux latronum insignis, magnis collectis viribus, & occupata parte Cafriarum, bellum inferret Lusitanis. Cum essent hi numero pauci, ac per diversa præsidia longo intervallo dispositi usque Mozambiquem, ad sustinendam belli ingruentis molem coacti sunt auxilio vocare ex ipsis Castis regulos sibi fidos, quorum deinde suffulti viribus, non solum belli sceleratum auctorem acie fugarunt, verum etiam contra faventes illi populos arma feliciter converterunt, & captivorum multa millia omnis ætatis & sexus in servitutem abduxerunt. Hinc Medonza facultas infantes plurimos baptizandi, & in cœlum transmittendi præbita. Nam cum prohibere non possent Lusitani, ne Cafri auxiliares uterentur in victos jure victoriæ, ex omni præda, qua abacta fuerat, viri pariter puerique ab iis mactabantur, eorumque carnibus inhumani helluones more patrio vescabantur. Dum ergo impii vultures ex illa miserabili turba diram explent esuriem, Medonza discurrens per tentoria, festinabat baptismo abluere pueros parvulos, quos, utpote teneriorem & lectam dapem, barbari liguriabant avidius, & lautioribus conviviiis reservabant. Multis hoc modo cœlum recluserat sua manu. Sed quia alicubi voraces belluæ venientem Sacerdotem accessu prohibuerant, dimisit per castra milites Lusitanos, qui jure commilitii omnia scrutarentur, ac reliquos infantulos aqua salutari similiter aspergerent. Quo pars multo maxima ex illo puerorum grege, paulo ante quam laniarentur, baptif-

To. I.

X x x

mo

188.
Male excipitur in ipso Thibeti aditu.

189.
Rebus desperatis Thibetum omnino deseritur.

190.
Labores & res gestæ P. Emmanuelis Medonza in Cafria.

191.
Pueros ab indigenis comedendos baptizat.

192.
Simile exem-
plum P. Mi-
chaelis Roderi-
cii.

193.
Quatuor Patres
novum insti-
tunt iter in
Æthiopiam.

194.
PP. Franciscus
Machadus, &
Bernardus Pe-
reira necantur
in regno Ade-
lis.

195.
De quodam
miraculo ad eo-
rum tumulum.

mo consignati fuerunt. Felicius successit P. Michaeli Rodericio, cui occasio eadem, & par facultas oblata. Regulus Lusitanorum federatus, istorum cohorte adjutus, de alio quodam foedifrago victoriam insignem tulerat. Victores barbari coeperant suo more pueros bello captos, & infandis epulis destinatos in ipsis Rodericii oculis interficere. Non tulit atrocitatem Sacerdos. Ut multum apud eos auctoritate & gratia poterat, alios intercepti vi, alios pretio redemit, quos deinde alendos tradidit Lusitanis. Quosdam ferro jam percussos, sed adhuc vivos spirantesque, caelestis doni participes fecit.

Haud minus feliciter eodem anno gesta res in Æthiopia. Sed nos prius quam regionem ipsam ingrediamur, paululum extra ejus fines, non tamen extra operis institutum immorabimur. Jam pridem Indiarum visitator P. Palmerius versabat animo, sicunde possent operarii Societatis in Æthiopiam transmitti per loca Turcis non subjecta. Nam tametsi nunc Prætor Suaqueni, donis inescatus, per oram Arabicam transeuntibus tutum iter præberet, scitum tamen erat, fuisse olim inter arcana turcici imperii prohibere Æthiopes omni commercio cum Christianis Europæ; nec dubitandum videbatur, quin aliquando barbari ad ingenium redirent, ac denuo nostris aditum illum occluderent. Re cum peritis regionum deliberata, vidit Palmerius, duas esse extra sinum arabicum maritimas urbes, Zeilam, & Melindam, indicis navibus frequentatæ solitas, ex quibus arduum non esset itinere terrestri in Æthiopiam pervadere. Qui illis in urbibus rerum potiebantur, eos nostris hominibus fautores facile credidit. Zeilam enim esse in imperio Regis Adelenis, qui princeps amicitiam coleret cum Æthiopo: Melindam vero parere regulo societatem habenti cum Lusitanis. Has reputans novi itineris commoditates Palmerius, cum destinasset nuper Æthiopicæ missioni Patres quatuor, Franciscum Machadum, Bernardum Pereiram, Joannem de Velasco, & Hieronymum Lobum; priores duos recta ire jussit Zeilam, duos reliquos Melindam: periculum facturus scilicet, quæ iretur commodius in Æthiopiam, eamque præfiniturus deinceps nostris hominibus viam, quam hi tutiorem facilioremque essent experti. Profecti sunt Patres magno animo. At duo posteriores, Velasco, & Lobus, eas nacti sunt difficultates Melindæ, quibus deterriti Goam redierunt, re, non dicam infecta, sed penitus desperata. Duobus vero alteris, Machado, & Pereira, Zeila, non in Æthiopiam, sed in cælum iter expeditum ac tutum præbuit. Exceperat illos quidem comiter Rex Adelis, spemque fecerat, brevi in Æthiopiam incolumes dimissum iri. At postea quam hac illos spe detinuerat ab idibus Aprilis usque ad nonas Augusti, abjecta repente quam sumpserat humanitatis larva, nihil tale metuentes catena vincit, conjicitque in carcerem. Inique facti culpam homo vecors rejiciebat in Imperatorem Æthiopiæ, a quo cum accepisset nuper legationem, missa sibi querebatur munera non satis lauta, nec omnino se, & fastigio suo digna. Nec vero dubitavit rex, nihil habens regii præter nomen, & male creditam potestatem, exiguitatem munerum ipsi per litteras exprobrare Æthiopi, addens, nisi misisset ampliora, nunquam fore ut videret quos expectabat ex India sacerdotes. Sic scribebat perfidus, nihil pensi habens cujus esset sceleris innocentes opprimere, ut amico parum liberali ægre faceret. Caterum falso hæc ipsa obtendebat, ad velandum inclusum sinu odium christianæ religionis, causam sciendi veram, atque unicam. Nam cum dies post hæc abiissent ad summum duodecim, innocuos Patres gladio percussit, nec expectato ad eas quas dixi litteras responso Imperatoris. Voluisse barbarum iniquissima illa cæde christiano nomini contumeliam facere, & duas quasi victimas avitæ superstitioni mactare, colligi liquido potuit ex aliis ejusdem litteris, quibus rescribens ad quemdam ex Æthiopia proceribus, qui sumptis armis tuebatur errorem Dioscori, gloriabatur, se nuper dedisse neci duos advectos ex India sacerdotes, qui ad propagandam Romanam superstitionem iter direxerant in Æthiopiam. Utcunque fuerit, de casorum corporibus prodigium fama pervulgatum invenio. Ajunt, cum tumultata fuissent, ex humo desu-

per aggesta prorupisse limpidissimam aquæ scatebram, eamque ab indigenis nec sisti unquam, nec opprimi potuisse. Sed rem nullius certo testimonio confirmatam, ut tacere ego non debui, sic nec ausim tradere pro comperta. Patriam habuerat Machadus Villam regalem, Lusitanæ oppidum, Societatique dederat nomen Conimbricæ, cum esset adolescens annorum quindecim, ac post sexennium, inter plures competitores ad indicam expeditionem electus, Goam navigaverat. P. Jacobus Madeira, vir gravis, & magnæ in India auctoritatis, ad Mutium scribens, dignum putavit, cui singulare testimonium daret, cum aliarum virtutum, tum præsertim religiosa prudentiæ. Decurrebat in Societate annum undevigesimum, ac theologiam docebat Goæ, cum in agrum Æthiopicum ut mitteretur obtinuit. Pereira, Visæi in Lusitania natus, in Societatem receptus fuerat Goæ, quo se contulerat, ut rem multorum exemplo faceret militando. Militavit sane, sed contra errores & vitia, sed religiosis in castris, ac diuturnæ militiæ mercedem optatissimam tulit, cum beata pro Christo nece donatus est. Olim ad opus evangelicum Tanam profectus, dum renavigabat Goam, interceptus fuit a prædonibus Batavis, & Jacatram deversus, ubi diram captivitatem toto anno pertulit. Cum inde in Hollandiam deportaretur, casu factum est ut navis, coacta de medio cursu vela retro in Indiam flectere, & vi tempestatis allisa littori, inter Suratem & Damanum periret, vestoribus salvis. Eo naufragio Pereira libertatem consecutus, Goam rediit. Caterum Jacatræ Batavorum inclementiam, & ærumnas horridi carceris, ea tolerasse dicitur fortitudine, ut procludere jam tum videretur ad gloriosam mortem, qua denique inter Mahometanos vitam clausit.

Ut rescitum est in Æthiopia de duorum Patrum crudeli eade, nullis satis verbis explicari possit, quantum inde mœroris ceperint Orthodoxi omnes, & omnium maxime Imperator. Is, acceptis mense Septembri contumeliosis quas supra memoravimus litteris, tyranno Adelenfi rescripserat, daturum se pro Patrum libertate quantum ejus exposceret avaritia: quo responso sperabat delinitum iri barbarum, aut certe nihil propere contra innocentium caput decreturum. Fraudatus sua spe, ac foedum in modum irrisus, tamen certis de causis dolorem injuriæ pressit. Ut duorum jacturam ex parte consolaretur, effecit adventus oppido latus, ac faustus aliorum octo de Societate, qui arabicam legentes oram, iter usitatum fecerant per turcarum portus, Dium, Mazuam, & Suaquenum, ac post multiplices periculosa navigationis moras, in Æthiopiam incolumes appulerant, partim mense Januario, partim Julio: nam in duos manipulos distributi vela fecerant. Fuerunt hi PP. Emmanuel Almeida, Ludovicus Cardeira, Emmanuel Barradas, Franciscus Carvallius, Emmanuel Lameira, Thomas Barnetus, Gaspar Pæz, & Hyacinthus Franciscus, operarii omnes impigri strenuique, & ad excolendam Æthiopicam vineam cum magno delectu transmissi. Non est ut referam, quibus honoris & benevolentia signis excepti fuerint ab amantissimo Principe novi hospites. Fremonam recta venerant priores quatuor, præside omnium Almeida; nec dum fessas vires refecerant ab itinere, cum affuit ab aula tabellarius, Imperatoris litteras & mandata perferens, ut ad eum quantocius ire ne gravarentur. Patres, nulla interposita mora, dant se in viam jumentis dono missis, diesque unum & viginti progrediuntur. Ecce autem, cum aberant a regia propius, apparent ex adverso militares copia equitum peditumque, cum magna nobilium manu, quos Imperator occurrere subeuntibus jusserat, gratulationis & honoris causa. Peractis mutua salutationis officiis, accipiuntur in medium nostri a delectis proceribus, & ad regium usque cubiculum deducuntur. Sedebat Imperator more gentis in lecto pulcherrime instrato, stante circum ad parietes corona, procerum. Ingressos Patres humanissime salutavit, oblataque singulis dextera, sellis prope appositis confidere jussit. Post pauca ultro citroque jactata, surrexit Almeida, & litteras Præpositi generalis obtulit Principi. His litteris gratias ingentes agebat Imperatori Mutius, tum pro eximia ejus voluntate erga

Te.I.

X x x 2

Ro-

196.
Utriusque elo-
gium.

197.
Acta in Æthio-
pia. Adventus
aliorum octo
de Societate.

198.
Quam honorifi-
ce deducti fue-
runt ad aulam.

199.
Quam benero-
le excepti ab
Imperatore.

Romanam Ecclesiam, tum pro singulari beneficentia, qua jam pridem coepisset, pergeretque in dies insignius mereri de hominibus Societatis. Quod vero sibi fuisset ab ipso mandatum, ut ejus nomine salutaret Christi Vicarium, & pedum osculo veneraretur, id obedienter ac promptè factum affirmabat. Epistolam Princeps recitari totam jussit Æthiopice redditam: lectione autem delectatus majorem in modum, eandem sua manu tradidit regii serinij præfecto, edicens ut regni annalibus inferendam curaret. Ita tunc Patres admissi auditique fuerunt. Digressos a colloquio secuta sunt regia munera ex omni genere utilium. Vicissim Patres munuscula miserunt Principi, exilia illa quidem, & qualia pauperum esse poterant; quæ tamen ille perquam benigne suscepit. Placuit præsertim Christi in cruce suffixi signum affabre factum, & instrumenta quædam musica, quæ nostri secum extulerant ex Europa, ut divina posthac inter Æthiopes celebrius peragerentur. Sed in primis capiebatur optimus Princeps eorum colloquiis, & consuetudine, redditos sibi affirmans Petrum Pæzium, Laurentium Romanum, & Franciscum Antonium de Angelis, insigni probitate doctrinaque viros biennio proximo extinctos, quorum similes putaverat nusquam inveniri. Eos ad se quotidie arcessebat, & familiaribus sermonibus detinebat. Postremo veniam petentibus secedendi Gorgoram, distulit in diem octavum, & tunc etiam indulgit invitus.

200.
Novum Imperatoris edictum de nuptiis.

Quod vero magis est, erectus talium ministrorum fiducia, perrexit præclaris cœptis insistere, & rem præstitutam urgere ingenti animo, omniconari certus, ut orthodoxum cultum in Æthiopia restitueret. Aderat illi consiliorum, & arcanorum omnium particeps P. Antonius Fernandez, quo præsertim auctore, atque arbitro, negotia religionis tractabantur. Res interea momenti longe gravissimi est constituta. Inveteraverat inter Æthiopes, ut alibi dictum est, prava consuetudo dissolvendi pro libito matrimonia. Si quæ priorum nuptiarum poenituisset, ille modico pretio persoluto, facultatem obtinebat ad novas transeundi. Pravitatem ut tolleret Imperator, convenire ad se jussit regii consilii senatores, ac judices: tum doctissimos quosque monachos, atque omnes sacrarum litterarum peritos. In eo confesso Fernandez, ad perorandum progressus jussu Principis, rationem christiani matrimonii ex divinis oraculis ita explicavit, ut omnes intelligerent, conjugium rite contractum consummatumque dissolvi non posse, nisi morte alterius conjugum. Audita est cum magno assensu oratio: cumque æquum videretur conventui, iisdem in posterum legibus teneri Æthiopes, quas initio Christus jussisset, Imperator circummisit per provincias edictum, quo priorem in dissolvendo vinculo nuptiali licentiam gravissimis verbis coercerat. Fremere ad hanc novitatem schismatici: obloqui, vociferari, gravius sibi jugum imponi quam ferre possent, dicere. Sed illis frustra ringentibus, perstitit Princeps vim legis tueri magna constantia, donec restituta est inter Æthiopes, quæ tot ante sæculis exoleverat, sanctitas matrimonii. Nec minus interim Patres alias offensiones, quæ inter homines ordinis sacerdotalis inoleverant, feliciter removerunt. Solebant alicubi sacerdotes rem divinam facere turcarum induti sagulis, aut alio simili ornatu, qui sanctitatem mysteriorum non deceret. Alibi sacræ vestes ad profanos usus pomparum adhibebantur. Ut alia præteream, quidam a nostris sacerdotalia indumenta flagitaverant, quibus ornarent sponfos in apparatu nuptiarum. Hæc omnia labore industriaque nostrorum, & Principis auctoritate paulatim sublata sunt. Disslata pariter monachorum nonnullæ superstitiones & fraudes, quibus simplici populo egregie imponebant. Erat in regno Tigrensi celebre monasterium, cui nomen Abba-Garima, cum pervetusto templo ad formam Salomonici extructo. In intimis templi penetralibus, quæ monachi Sancta Sanctorum appellabant, velisque obduserant, jacebat arca lignea, quam si quis introspicere ausus esset, eum subita morte de caelo immissa plectendum affirmabant. Ea in arca aiebant custodiri alteram tabularum, in quibus Moyses legem Dei digito scriptam accepit. Colebatur proinde locus religione summa,

201.
Sua rebus sacris dignitas restituitur.

202.
P. Thomas Barnetus monachorum insignium commentum detegit.

ma, & incredibili hominum concursu frequentabatur. His de rebus edoctus P. Thomas Barnetus, e Frenonensi statione templum illud cum delectis catholicis petiit. Eo ut ventum est, advocata concione, reduci hinc inde vela jubet, trahi in medium arcam, & quidquid intus esset repositum, in lucem efferi. Reclamabant monachi, infortunium certissimum denunciabant. Qui aderant e populo, pendebant animis, partim metu, partim visendi studio. Reflexo arce operculo, nihil repertum, præter arundinem tres longam palmas, holoserico intectam: quæ prolata, & publice ad ludibrium expolita, vanam opinionem vulgi abolevit, & monachos ignominia obruit. Toto triduo mansit ibi Barnetus, eoque tam brevi spatio schismaticorum mille nongentos Ecclesiæ conciliavit. Similem mentis religionis larvam dispulit P. Didacus de Mathos in altero ejusdem regni cœnobio, cui celebritatem quæsierant monachi mendacio, non minus crasso, quam turpi. Quiescere apud se mentiebantur a pluribus sæculis viros sanctitatis eximia, sopore divinitus immisso devinctos. Ostendebant a longe cubiculum maligna perfusum luce, in quo disposita conspiciantur quædam cubilia, tumentibus ad eum modum stragulis, quasi humana corpora tegerentur. Neminem accedere patiebantur propius, ne forte pedum strepitu dormientes expergerent. Tantum rogabant suppeditari stragula, quibus obtegi viri sancti possent rigente hieme: quibus fallacis sycophantæ, credulitate vulgi nequiter abutentes, stragulorum ingentem numerum auferebant. Huc Didacus cum magno comitatu venit, velut videndi causa miraculi, cujus gratia ex remotissimis quibusque locis obiri religiosæ peregrinationes solebant. Spectatum admixtus cum cæteris, occupavit illico limen, referati conclavis, frustra que monachis obnitentibus, rogantibusque ut absisteret, intro se penetravit. Obiit lectos singulos, ac viatorio suspendens baculo stragula, falseque subridens, rogabat subinde, quo nam sancti homines avolessent. Urebantur pudore ac rabie nefarii deceptores, qui se in aperta fraude deprehensos viderent. Non tamen ausi sunt Didacum violare, quippe cui sciebant favere Imperatorem impense.

Dum sic interea vilescibat monachorum auctoritas, fiebant ad fidem catholicam incredibiles inclinationes. Ex ipsis monachis multi ex parte Dioscori ad Ecclesiam subinde transibant. Nostri ex iis seligebant probatiores, & quos norant fidei doctrina melius instructos, jubebantque rudimenta christianæ institutionis rudi populo tradere. Hujus porro consilii multiplex erat utilitas. Præterquam quod catholica veritas latius spargebatur, videntes monachi mansuram sibi apud vulgus auctoritatem magisterii, veritatem facilius amplectebantur. Cæterum schismaticorum transitiones, quæ in singulis fere provinciis factæ sunt anno labente, longum esset per partes exequi. Unus Emmanuel Barradas, ut de aliis sileam, etsi recens in Æthiopiam advectus, cum peregrinationem suscepisset ad Sireos (id nomen habet regio maxime alpestris in latere boreali provinciæ Tygrensis) peragrata novem omnino mensium spatio regione, lucratus est hominum amplius quatuor millia. Etiam in regno Amaharano, quo nostri ob paucitatem suam nondum penetraverant, spargi cœpta catholicæ fidei semina, cum spe proventus uberrimi. Mons ibi est ingentis altitudinis (Guexen sua lingua Æthiopes nominant), in quo summo lata, diffunditur planities, hominum habitationi non incommoda. Hic olim custodiebantur Israelitæ, id est principes regii sanguinis, ita dicti, quod familiam regnatricem putant originem trahere ex Salomone per Sabam Æthiopiæ reginam. Ad præcidendas quippe civilis belli causas, contentionesque, quæ ex imperii successione possent inter regios principes suboriri, institutum fuerat a majoribus, ut in Guexenam arcam deferrentur adhuc impuberes quicunque nati essent de regio femine. Committebatur eorum educatio & custodia viro gravi, qui cum militari præsidio locum obtineret, caveretque, ne quo cum popularibus commercio uterentur. Ubi vero mors Imperatoris vacuum fecerat regni sedem, ex eadem arce assumebatur ad imperium quicumque esset mortuo

203.
Similem fraudem detegit P. Didacus de Mathos.

204.
Schismaticorum transitiones ad Ecclesiam.

205.
De Guexeno monte, & Israelitis.

206.
Forum plerique ad catholicos transeunt.

207.
RES
MALABARICÆ.
Mors & elogium Francisci Rozi Archiepiscopi Cranganorensis.

208.
Proepiscopum nominat Archidiaconum sibi inimicissimum.

cognitione proximior. Tempore de quo scribimus, non vigeat hæc consuetudo. Fuerat enim ante annos circiter centum Imperator, qui victus filioli charitate, eum habere maluerat apud se, cæteros vero illuc antea deportatos custodiri in posterum iusserat laxius, potestate illis facta habitandi, si vellent, in circumpositis vicis, modo ne extra certos fines vagarentur. Ex eorum tamen semine censebantur adhuc in Guexeno monte Israelita fere ducenti, viri magna apud omnes auctoritate, & reverentia generis honore præcipuo culti. Hi nuper incitati monachorum calumniis, contra Imperatorem, conspirationem fecerant, utque everforem impium avitæ religionis, (sic enim loquebantur) & auctorem novæ hæreseos regno spoliarent, prodierant in apertum, tractis in sociale bellum finitimis populis, quibus tales sequi duces pulchrum, & pro tali causa certare pulcherrimum. Seditio in ipso ortu compressa fuerat, non tam armis, quam litteris & officiis Proregis. Ipsi mox Israelita, ad concordiam adducti, venerant supplicum ritu ad aulam, ut de præteritis injuriis satisfacerent principi. Per hanc occasionem, cum audissent differentes de religione Patres, dici vix potest ut iudicium mutaverint. Querebantur palam, se a suis monachis fuisse deceptos: accusabant temeritatem suam, quod in negotio tam gravi illorum fidei se credidissent: demum plerique catholicis aggregari voluerunt. Atque hæc fuerunt primitiæ religionis in regno Amaharano, hic præsentis anni fructus ultimus in Æthiopia.

Provincia Malabaricæ memorabilem fecit hunc annum obitus Francisci Rozi Archiepiscopi Cranganorensis, cujus in superioribus libris sæpe a nobis cum honore est facta mentio. Decessit vir eximius XII. Cal. Martii in collegio Cranganorensi: huic enim sub vitæ finem deferri voluit, ut apud optatissimos sodales suos, cum quibus conjunctissime semper vixerat, supremum spiritum redderet. Hispanus gente erat, patria Gerundensis. Societati dederat nomen anno superioris sæculi septuagesimo quinto, ætatis suæ duodevigesimo; vixque emensus orbem studiorum, missionem Indicam impetraverat. Vir ingenio summe experrecto, & cujuslibet doctrinæ capaci, sed ad peregrinas præsertim, linguas perdiscendas in primis idoneo, Syriacam, & Chaldaicam, quarum altera Thomæorum litteraturam continet, altera liturgiam, itemque Tamulicam toti Malabariæ vernaculam, callebat apprime; earumque linguarum usu tantum potuit apud homines erroribus Nestorianis innexos, ut quæ feliciter secuta est conjunctio illius gentis cum Ecclesia Romana, ipsi potissimum, post Alexium Menesium Indiæ Primatem, accepta sit referenda. Summi Pontificis imperio compulsus ad insulas, quem respicere honorem non licebat, sumptus invitatus: at iisdem deinde artibus gessit, quibus meruerat. Præter nuda Episcopatus insignia, tum in cultu corporis, tum in tota ratione vivendi, agnosceres uti prius operarium Societatis. Quos labores pro salute sui gregis tulerit, quibus molestiis conflictatus fuerit, suis alibi locis indicavimus. Debet illi Societas collegium Cranganorensis, cum proventu annuo, quo dotatum est. Paulo ante quam moreretur, multa fuit Rozo deliberatio, cuinam Ecclesiam committeret administrandam pro tempore interregni: nam id juris attributum illi fuerat ab Apostolica sede, nisi adesset successor. Aderat quidem, aut certe non multum aberat P. Stephanus de Britto, quem Archiepiscopi successorem designatum alibi dicebamus. Verum is, etsi litteras designationis accepisset, nondum tamen habebat diploma Pontificis maximi, sine quo Ecclesia possessionem adire non poterat, quod enim missum fuerat Roma, naufragio perierat. Et iustis præterea causis movebatur Rozus, ut istam procuracionem alteri traderet. Reputabat scilicet, quales cedere posset turbas, nisi huic honorem consequeretur, Archidiaconus, vir natura ferox, superbus, iniquus, qui res novas versaret animo, & adhuc respectare Babylonem videretur, unde peti antea consueverant Thomæorum antistites. Hominis malam fidem, & ingenium turbidum magnopere pertimecebat. Sin vicaria potestas traderetur ipsi, futurum sperabat, ut beneficio delinitus discederet ab intemperantia sua pri-

pristina, & mentem ad meliora converteret. Hæc reputans, scribit ad Archidiaconum litteras charitatis officique plenissimas, unum modo rogans, ut in eo saltem rerum articulo ne gravetur ad parentem suum jam prope morientem, ac suprema verba locuturum accedere: esse sibi gravissima, quæ cum ipso communicata vellet, negotia. Ne id quidem impetrare potuit a contumaci, ut responderet. Et nihilominus, cum insigni benevolentia documento devincere sibi, & Ecclesie suæ cupiens, scriptis tremente manu codicillis post suum obitum resignandis, ipsum Proepiscopum nominavit. Usque adeo privatis rationibus anteposuit publicum commodum sui gregis, cujus salutem & tranquillitatem ex hac maxime designatione pendere existimabat. Consilii rationem approbavit eventus. Ut nunciatum est Archidiacono, quid de ipso Rozus ante obitum statuisset, primo vix credidit. Sibi conscius iniquitatis suæ, mansuetudinem ita de se meriti Antistitis valde est demiratus. Tum potentatum, cujus cupidine flagrabat, sibi delatum ab Antistite catholico videns, ac porro gaudens, non modo nihil rei habere voluit cum schismatico, verum etiam ad tollendam inter Thomæos divisionem, cujus ipse auctor fuerat, studium suum omne auctoritatemque convertit. Redegit in ordinem suarum partium Curiones, hisque demptas curias pastoribus olim a Rozo constitutis restituit. Postremo circa finem anni novum Archiepiscopum Stephanum de Britto ita excepit, ut spem faceret, perpetuam sibi cum illo concordiam fore. Quæ qualicumque tandem animo facta sint ab homine, non minus mobili, quam fallaci, profecto ad tollenda præterita discordia mala plurimum profuere.

Interim in imperio Sinenſi, mortuo qui rebus nostris acerrime adversabatur Xino, potenti illo Mandarino, de quo sæpe alibi dictum est, respirabant a superiorum temporum metu Patres, & religionis negotium confidentius agebant. Multum ad hanc prosperitatem conferebat scientia rerum naturalium, qua erant non leviter instructi omnes, sed omnium maxime Nicolaus Longobardus, & Adamus Schallus. Documento sint duæ præsertim res, quæ sequuntur. Laboraverat luna terræ objectu, semel anno superiore, iterum hoc de quo scribimus. Utrumque defectum Schallus longe antea prospexit, & proprio explicavit commentario, tam accurate, nullum ut punctum temporis astrologi diligentiam fefellerit. Ea res miro plausu excepta, & estimationem doctrinæ conciliavit Schallo, & apud aulicos veterem refricuit curam de corrigendis Calendarii Sinici erroribus, & Patribus huic negotio præficiendis: quod tamen, variis subnascentibus moris, in aliud tempus dilatum est. Sub idem tempus in provincia Pekinensi terra motibus insolitis concussa magno metu populum consternaverat. In publica trepidatione jactaverunt se litterati Sineses, & in vestigandis tumultus subterranei causis plurimum sudarunt. At cum cœperunt elaborata scripta prodire, & hominum manibus teri, facile senserunt nostri, parum illos in physicis, ac prope nihil intelligere. Adeo aberrabant omnes a vero, atque inter se dissidebant. Siluerunt tamen, ne pudorem incuterent hominibus doctrinæ opinionem habentibus. Silentem præ cæteris P. Longobardum rogavit nescio quis, ut quid sentiret de terræ motibus, & eorum causis libere loqueretur. Ille rem totam brevi libello complexus est tam apposite, ut eo vix edito, lucubrationes suas recondiderint litterati Pekinenses, & fascies Europæo doctori submiserint. Quo loco non est dissimulandum, facile adduci Sineses ut credant, in arcanis naturæ plus videre Europæam philosophiam, dum interim sibi moralis doctrinæ palmam, quasi sine controversia debitam, arrogant. Hunc in modum reffloruit, quæ paulum exoleverat, erga nos potentiorum benevolentia: præsidium inter humana opportunissimum ad fidem feliciter propagandam. Faventibus itaque Mandarinis, libere jam versabantur in urbe regia Patres Longobardus, Diaz, & Schallus: conspiciantur palam in ipsa aula, edebant libros, conventus celebrabant, ac procerum patrocinio tuti fultique, in reliquis quoque imperii provincias curas & beneficia dividebant. Accessit ad cumulum felicitatis, quod

209.
Qui honore delinitus ad saniora consilia se convertit.

210.
RES SINICÆ.
Specimen scientiæ mathematicæ a P. Adamo Schallo editum.

211.
Simile specimen datur a P. Longobardo in physicis.

212.
Omnia succedunt prospere Pekini.

213.
Præclara mors
eiusdem Neo-
phyti.

præclari illi defensores rei christianæ, Paulus, & Michael, revocati in aulam, & honoribus pristinis, quibus adjuncta erat ingens potentia, insigniti fuerunt. Hæc aspiciens optimus quidam senex (Benedicto nomen erat viro), quem omnium primum Pekini P. Matthæus Riccius baptizaverat, lætitiis omnibus incedebat. Quasi nihil superesset quod optaret in terris, erupit in eas voces, *Nunc dimittis servum tuum Domine*, ac se moriturum affirmavit quatruiduo. Hac persuasione, compositis domi negotiis, salutatis amicis affinibusque, omnibus valere supremum iussis, quarta luce venit in templum Societatis, rogavitque enixe Patres, ut se proxime moriturum munirent sacrorum præsidii ultimis, & ad bene moriendum instruerent. Ægre adducebantur Patres ut ei morem gererent, quem viderent valere quam qui optime. Fecerunt tamen, sive misericordia permoti, sive superiore instinctu. Ille voti compos effectus, redit continuo domum, familiam ad se congregat, cohortatur domesticos, ut dignam sancta quam profiterentur lege vitam ducant. Demum illis in mentem revocans propositum pietati præmium felicitatem sempiternam: *Hanc ego quidem*, inquit, *semper ob oculos habui vivens: ejusdem nunc spe lætus excedo.* Quæ vix profatus, spiritum extremum edidit, mente cateroqui sanus, nulloque debilitatus morbo, præter quam senectutis.

214.
RES JAPONICÆ.
Crudelitatis
conatus ultimi
ad extirpandam
christianam fi-
dem.

Per hæc in Japonia deteriore faciebat christianæ rei conditionem ira & crudelitas principis, in eodem semper proposito permanentis, ut opprimeret Christi nomen invisum, & divinam legem intra fines imperii sui deleret. In idem quasi certatim conspiraverant reguli, ac provinciarum rectores, quippe certi, hanc esse viam expeditissimam ad ineundam tyranni gratiam, nec fore sine periculo qui erga Christianos mansuete ageret, aut remissus: quæ nequam falsa persuasio, dici vix potest quantam ubique molem persecutionis conciverit. Vix fuit in Japonia locus, qui non redundarit innocenti sanguine. Erecta passim patibula, accensi ferales rogi, crudelitatis instrumenta omnia explicata. Saxitum alicubi igne, aqua alibi, alibi ferro: atque hoc aliis præcisæ cervix, aliis discerpta membratim corpora, aliis adacti punctim in viscera pugiones. Quis vero illorum ineat summam, qui probrosa stigmata, qui vincula, qui honorum direptionem, qui exilia pertulerunt? Quis illorum, qui dum carnifices & oppida fugiunt, exilio voluntario extorres abierunt, perque agros & saltus errabundi, sine tecto, sine victu, hiberno enecti frigore, fame consumpti, in altis nivibus, aut in silvarum lustris sepulti, vitam ærumnosissimam toleraverunt? Non ergastula claudendis pro Christo venctis, non torquendis satellites, vix tabularia publica numerandis sufficiebant. Multi quidem prostrati metu sunt, & a religione turpiter defecerunt. Sed hanc maculam abunde absterfit constantia aliorum, qui multo plures maluerunt fortunarum, liberorum, ac vitæ ipsius jacturam facere, quam obligatam Christo fidem deserere. Eorum qui necati hoc anno sunt numerus, quantum potui ex monumentis colligere, excessit ad ducentos & undecim. Fuerunt autem in his dynasta nobiles, matronæ olim opibus florentissimæ, teneræ virgines, senes longævus, adolescentes, pueri: ut omnino appareat, non sine peculiari gratiæ celestis ope tam æqualem in tam diverso statu virtutem, ac fortitudinem extitisse. Parum est eos oppetuisse constantem mortem, quam effigere animo natu, una verborum significatione poterant. Ultra se aliqui immitibus iudicibus objecerunt. Timuerunt alii, ne a tortoribus præterirentur. Plerique in ipso cruciatu, & inter atrociora supplicia, non modo imperterriti, sed læti, alacres, exporrecti, riserunt crudelitatis conatus ultimos, vitam, & quæ hominibus cariora esse solent, cum quodam quasi saltu prodegerunt: prorsus se, ac conditionem naturæ suæ superarunt. Longum, atque operosum esset exequi per partes omnia, quæ labentis anni memoriam illustraverunt, nec operis ratio patitur, ut a rebus nostris tam longe digrediamur. Exstant eadem fuscè descripta apud Bartolum, rerum Japonicarum scriptorem locupletissimum. Tamen nec otiosum, nec omnino alienum erit de fortissimis illis Christianis aliqua ad specimen cæterorum carptim attingere.

Nulla

215.
Quæ fuerit
multorum con-
stantia tam fa-
vo tempore.

Nulla Japoniæ pars feracior illustrium palmarum fuit, quam insula regni Firandensis. Regnabat ibi vir truculentus, Massura Figendonus, qui cum iratum sibi certis de causis Imperatorem sciret, placare illum macandis Christianis statuit: nec enim demerendo ejus animo certior patebat via. Porro in perquirendis, quos neci dederet, non multum laboravit, nec diu. Arripuit affines, uxores, liberosque eorum, qui pro Christi fide perempti fuerant annis superioribus, hosque ut æque reos trucidavit. Inventa fuerat familia integra cujusdam Gabriellis, quem securi percusserat ipse ante biennium. Censebantur in ea novem capita, mater, uxor, frater, sorores duæ, itemque avia, anus annorum octoginta, cum duabus ancillis, & unius ancillæ infante trimulo. Mori una omnes jubet, propterea quod Christum colerent. Sententiam beatæ victimæ haud secus acceperunt, quam si nuncium allatum esset rei optatissimæ. Confestim vocem tollere, & Numini laudes læto cantu persolvere. Ut erat forte nox intempesta, imperatur illis silentium, sed frustra. Intendunt certatim vocem, nova in honorem Dei carmina modulantur. Non prius cantare desierunt, quam vivere. Prævit cateris ad supplicium vetula, & cervicem acinaci subjeit, quam unus e propioribus confanguineis (nam id honor ducitur apud Japones) uno ictu demessuit. Proxime necanda cum esset mater, rogavit, ut liberos ante se mori cerneret. Vidit, ac decisis capitibus blande arridens, ut jam de filiis secura, libens suum caput addidit. Reliqui post eam obruncati fuerunt. Factum id Ufuca, ad V. Nonas Martias. Ibidem Antonius Girobiojus, venerabilis senex annorum octoginta sex, & Lucas Feibiojus, hujusque filius Alexius, veteres nostrorum hospites & amici, cum recusarent a Christi cultu deficere, parem coronam adepti sunt cervicibus amputatis. Luca conjux erat Maria, masculæ virtutis femina, ac tum forte aberat Ufuca, cum de ipsius marito ac filio supplicium sumptum est. Ut audivit se martyrum uxorem, & matrem esse, advolavit continuo in urbem, perire similiter gestiens, & necem flagitans. Diu tentata & vexata est, ut vellet negato Christo vivere, sed conatu irrito. Ad omnia perstitit immota, donec quam optaverat palmam abscissis cervicibus tulit. Percussit ea novi generis virtus animos ethnicorum, & obortum divinitus lamen multis tenebras superstitionis discussit. Ægre tulerunt magistratus. Institutum proinde ut Christiani deinceps, non uti prius in oculis civitatum, sed in carcerum, aut privatarum ædium angulis necarentur. Nobiliores aliqui duntaxat eligebantur a provinciarum gubernatoribus, ut famam crudelitatis, & inde gratiam Imperatoris captarent. Ob eam maxime causam in insula Iquisuchia publico supplicio affecta fuit Catharina, dynastæ potentissimi filia, quam ita carnifices cruciarunt, merito ut dubites, plus ne eorum impudentia & immanitas, an mulieris generosa virtus eluxerit. Similiter Cubotæ, cum essent capitali poena affiendi Christiani triginta duo, omnes ex nobilium ordine, eos tyrannus xv. Cal. Augusti vivos combussit in aperto foro, atque igne tam lento, ut nullius crinem flamma perstrinxerit.

Ex iis, qui intra privatas ædes necati sunt, memorandus in primis Toyama Franciscus, inter Aquitensis regni dynastas nobilitate generis, atque opulentia apprime clarus. Domus huic erat ampla Faroximæ, qua nostris semper patebat hominibus, iisque subinde adventantibus, in templum scholamque pietatis mutari solebat. Accidit, ut urbem, & eam quam dixi domum regii satellites scrutarentur, dum aberat forte Franciscus in suburbana rusticans villa. Qui aderat œconomus, interrogatus, num quem sciret esse in heri familia christianum? neminem esse affirmaverat. Rescivit Franciscus de hoc mendacio. Nec mora. Revolat e vestigio in urbem, gubernatorem convenit, mentitum esse œconomum denunciat: se christianum esse, ac dum viveret porro fore. Percussus denunciatione tam libera gubernator, & salvum Franciscum cupiens, amicos ejus & cognatos admonet, ut ad labefactandam viri constantiam machinas quascunque possint adhibeant. Certatum ab illis est mense

T. I.

Y y

inte-

216.

Novem christianorum virtus in extremo supplicio.

217.

Par aliorum constantia, & unius præsertim mulieris.

218.

Aliorum triumphum leviter indicantur.

219.

Vir nobilis ultro ad poenam se offert Christi causa.

220.
Capitalem sententiam excipit constantia incredibili.

221.
Novissima ejus verba ad matrem, & conjugem.

222.
Carnifici caput præcidendum offert.

223.
Generosi adolescentis præclarum facinus.

224.
Pueri, ejusque matris mira fortitudo in excipienda nece.

integro, nihil consecutum. Erant præter eos Francisco plures in aula consanguinei, opibus ac dignitate prævalidi, qui cognito ejus periculo, gravissimas dedere ad ipsum litteras, multum rogantes ut sibi, ut familiæ confuleret. Unam resignavit ipse, ex eaque conjiciens caterarum sententiam, reliquas in ignem conjecit. Adfuit demum missus a gubernatore miles, & domum cinxit. Ingressus centurio rogat, num Imperatori tandem morem gerere contingerit? cui vir fortissimus: Morem sane geram, ait, quatenus sinet lex Christi, cui mortales omnes, atque ipsos imperatores obtemperare par est. At siquidem alios præter se deos Christus adorari vetat, huic certum est fidem servare. Atqui, subjecit centurio, certa mors est, si ita pergis. Et accidet nobis, retulit Franciscus, optatissima. His auditis, exponit centurio quæ haberet a gubernatore mandata de ipsius cade, & in aulam milites introducit. Nihil eadē denuntiatio, nihil hic feralis militum apparatus hominem movit adamante duriorē. Evadit in superiorem contignationem, ubi mater, lætissima femina, cum aliquot nobilibus sedebat, accidenſque ad ejus pedes, vultu ad læticiam explicato: Gratulare mater, inquit, & mihi, & tibi. Adest diuturnis expectata votis dies, qua pro Christo moriar. Ignosce si quid a me tibi molestum accidit, & filio hac ipsa hora perimendo bene precare. Cujus non diriguisset animus, tam inopinato nuncio, tam tristi! Defixis stupore cæteris, assurgit intrepida parens, filium ab humo sublatum complectitur, osculatur; cumque detersisset paululum quas natura expreſſerat lacrymas: Macte, inquit, fili, & dignum te, dignum me vitæ finem impone. Te brevi, ut spero, conſequar: quid enim in vita jucundum esse mihi jam possit, sublato te? Hoc uno senectutem & orbitatem solabor meam, quod matrem esse me martyris nunquam excidet. Plura voluit dicere, sed oborta lacrymæ prohibuerunt. Accurrens interim diro excita nuncio conjux, lamentabili comploratione domum totam implebat. Luctu perditam sponsus paucis affatus, flere vetuit sua causa: ut datam Christo fidem perpetuo servaret, monuit; ab eaque celeriter divulgatus, in aulam se proripuit, ubi militum & nobilium manus expectabat. Salutatis ore læto cunctis, procidit in genua supplex, perſtititque divinam opem implorare, & se Christo victimam voluntariam offerre, donec precibus absolutis, collum ferro subdidit. Dignus sæculorum memoria hæros, eoque dignior, quod numerabat vitæ annos tantum viginti quatuor.

Hæc nobilitatis exempla intuens Christianorum vulgus, non modo non remittebat animos, id quod ethnici spectabant, verum illa imitari, sequi suis nobilitate virtutibus gestiebat. Cum viris femina, cum utrisque pueri de constantia certabant. Adolescens fuit, qui impiorum æque promissa ac minas ridebat. Iratus judex, focum candentibus prunis horridum afferri jubet, & Quoniam, inquit, vivus modo cremabere, interim periculum tui fac, & huic foco digitum injice. Nihil cunctatus ille, injecit, nec ante amovit, quam totus cremaretur, Romanum illum Scævolum tanto superans virtute, quanto erat inferior atate, & causa melior. Obstupuere quicumque aderant, nec ipse sibi temperavit judex quin generosum adolescentem laudaret, & neophytos triginta in ejus gratiam vita & libertate donaret. Plus habuit admirationis pueruli annos tantum tredecim nati in excipienda nece alacritas. Ductus fuerat ad locum supplicii cum universa familia, processeratque facem accensam gestans, tanto cum lepore, modestia, & venustate, ut omnium oculos in se converteret. Jam patris, ac sororis parvulæ revulsam a cervice caput interritus viderat. Dum ipse collum expedit, comam sensit esse longiorem. Veritus, ne qua per eam acinacii mora fieret, accurrit propere ad vicinam matrem, utque fluentes capillos apte colligat in nodum, rogat. Mater, filiolum suavissime osculata, comam composuit, eumque redire ad suum locum jussit. Redierat: cum carnificem aspectans adstantem districto ferro, blande subrisit, eundemque sedato vultu compellans: Videris mihi, inquit, paulo timidior, ac forte parum in tua arte exercitatus. Omitte, quæso, metum, & cave ne quid in me per in-

scitiam pecces cum tuo dedecore. Jam experiar, subjecit immitis carnifex: & quasi ludibundus, uno levique ictu tenellum caput ad matris genua dejecit. Non animum, non vultum mutavit mater. Tantum metuens, ne martyrio eriperetur filiola bimula, quam sinu complexam tenebat, hujus cerviculam suo sic admovit collo, ut caput utriusque uno pariter ictu decussum ceciderit. Mira profecto hæc, & vix credibilia, si quid incredibile de virtute cœlestis gratiæ videri posset.

Sed his omiſſis, quorum est nobis laus communicanda cum multis, ad ea quæ nostra omnino ac propria sunt veniamus. Regnum Voxuanum jam sexennio excolebat P. Didacus Carvallius, degebatque plerumque Xendai, quæ civitas regni caput erat, & regia principis Masamunis. Inde procurrens in vicinam regionem, recipiebat subinde se Minacam, oppidum Christianis frequens, ubi rerum potiebatur Joannes Goto, dynasta christianus, & Christianorum patronus. Non latebant hæc Masamunem: ne quid tamen in Carvallium statueret acerbius, retardabatur Joannis nobilitate insigni, & magnis in rem publicam meritis, quorum respectu condonandum aliquid ipsi, ipsiusque hospiti & amico censebat. At sentiens eam rem vulgo innotescere, & male sibi metuens ab Imperatore si connivere pergeret, repente inquiri christianos Minaca, plectique jubet. Quod attinet ad Joannem Goto, decernit, ut ad infringendam hominis contumaciam (namque ita barbarus loquebatur) prius viâ mitiores tententur: sin vero in sententia persisteret, publicentur ejus bona, ipse cum universa familia in exilium ejiciatur. Versabatur hoc prorsus tempore cum Joanne P. Carvallius, Minacam accitus ad celebrandos dies Christo circumciso, & a regibus adorato sacros: apparebatque, ut erant initia, ulterius prorupturam iram reguli, inire gratiam ab Imperatore cupientis. Sacerdoti quidem certe esse intra dies paucos moriendum, nemo dubitabat. Ei proinde magnopere suadebat hospes & amicus Joannes, ut instantem procellam declinaret paululum, & ad multorum salutem se reservaret. Idem consilii dabant reliqui christiani. At sacerdos, commemorans, non suum tantummodo queri caput, sed contra salutem publicam neophytorum tempestatem ingruere, diserte negavit se discessurum eo tempore: advolaturum ab ultimis Japoniæ finibus si abesset, nedum vellet gregem sibi commissum in tam præfenti periculo deserre. Ne tamen exitio esset hospitibus, si in eorum adibus deprehenderetur, delegit in propinquo nemorosam vallem, ubi simul delitesceret, simul ad gregis custodiam excubaret. Pastorem e proximioribus pagis secuti Christianorum multi, sive ut ejus aspectu & colloquiis fruerentur, sive ut impiorum infectionem vitarent, in eandem vallem descenderunt, compactisque ligno & stramine mapalibus, novas in ea sedes fixerunt, satis illas quidem, ut videbatur, reductas & tutas, si quid a proditione tutum, si quid perfidiæ clausum esset. Minaca interim procella invalescebat. Tentata fuerat modis omnibus constantia Joannis, de quo supra dictum est. Ubi sensit Masamunes nullis posse machinis generosum pectus concuti, aut a proposito dimoveri, impetum in ejus fortunas facit, agros & oppida ferro flammisque vastat, diripit suppellectilem, domum diruit hostilem in modum, non amicis, non affinis famulisque parcat. Ipsum denique omnibus spoliatum, inopem, ac seminudum in exilium agit. Secessit vir fortissimus in provinciam Nambuensem, solas secum avehens opes pietatis, quas e suis jacturis collegerat non exiguas. Post hæc in omnes Christianorum ordines savitum acerrime. Aufugerunt metu quamplurimi. Eorum qui supererant, multi cum ignominia ejecti, plerique fortunis everſi, nonnulli etiam, quod miserrimum, terrore prostrati sunt. Dimissi interea cum fuissent in omnem partem satellites ad perquirendos Christianos, venerat cum manipulo armatorum centurio ad oppidulum Orixienſium, haud Minaca procul, ubi indicatum fuerat Christi religionem coli, & Sacerdotem latere: at vacuis inventis adibus, vanum putabat indicium, ac nulla re gesta revertebatur. Cum subito circumſpicienti apparent in alta nive pedum impressa

To. I.

Y y 2

vesti-

225.

Quid ageret
P. Didacus Carvallius in regno
Voxuano.

226.

In magno vitæ
periculo capta-
re fugam re-
nuit.

227.

Secessit in
vallem abdi-
tam cum multis
neophytis.

228.

Persecutio in-
gravescit in re-
gno Voxuano.

229.
P. Carvallius
comprehenditur
cum aliis de-
cem.

230.
Christiani de-
cem & novem
varie mactati.

231.
P. Carvallius
cum aliis octo
in glaciali sta-
gno jubetur cõ-
sistere.

232.
Duo brevi
moriuntur. A-
liis tormentum
protrahitur.

233.
Vi frigoris ene-
rit animam ex-
halant omnes.

vestigia. Sequi jubet hæc indicia milites. Illi paulum extra viam militarem progressi, ad mapalia, de quibus supra dicebamus, deveniunt. Mirati in loco tam abdito tam frequentes & novas casas, facile intellexerunt offerri sibi quam querebant prædam. Nec mora. Impetum in eas faciunt. Ad primos clamores, progreditur e latibulo suo Carvallius, vocem intendit, latrones impios objurgat, & absistere procul jubet. Addit minas, denunciatur contumaciae poenas, si respuere oblatam veritatem, si sævire pergerent. Quæ non ideo dicebat, quod speraret immites homines suis vocibus flecti posse; sed ut furentes paululum moraretur, & spatium interea esset christianis in speluncas & nemora evadendi. Consilium ex parte successit. Ex tanto neophytorum numero decem tantum fuere cum P. Didaco comprehensi. In his vetuli duo, cum propter ætatem ingredi nequaquam possent, statim a militibus jugulati fuerunt. Cæteri, victis manibus, per itinera nive ac ventis horrida, Madrusavam primo, & inde Xendajum pertrahuntur.

In hac urbe triumphum egerant per eos dies Christiani undeviginti, partim lentis consumpti ignibus, partim in profluentem abjecti, partim aliis & insolitis mactati suppliciis. Pradicabatur in primis tormenti genus non antea usitatum, quo pridie Idus Februarias necati fuerant par inigne conjugum, Joachinus Ansajus medicus nobilis, ejusque uxor Anna. Nam cum nullis neque minis, neque blanditiis flecti potuissent ut Christo fidem fallerent, nudati vestibus, tandiu perfusi fuerant aqua congelata, donec eneati frigore animam exhalaverant. Supplicium istud præ cæteris mirifice comprobatum fuerat ab ethnicis, cum propter atrocitatem, tum etiam gratia novitatis, quæ vel crudelitas delectatur. Idem ergo decernitur Patri Carvallio, ejusque octo comitibus, sed ratione paulo diversa, & forte ad cruciatum atrocior. Scrobem ingentem excavant ad ripam fluminis, in eamque flumen derivant per incile. Scrobem ipsam confecto e palis vallo cingunt. Cum rigeret hiems frigidissima, in hoc brevi lacu nudi jubentur considere beati pugiles, adstante circum globo militum, & insana plebe, quæ cæteros quidem ad defectionem provocabat, at Carvallium gravissimis onerabat probris & contumeliis, quasi per eum staret unum, ne reliqui viverent. Retundebat impiorum dicitur, mitis Sacerdos, comites assidua cohortatione ad patientiam animabat. Jam tres ferme horas in immiti lacu constiterant: cum judex, poenam trahere, & sævire prolixius volens, extrahi cunctos imperat. Duos ex neophytis in vestigio beata mors oppressit. Cæteri, quia pedibus insistere non poterant (erant enim toto debilitati corpore, ac fere semianimes) per humum crudeli modo raptantur ad Governatorem. Sollicitati, partim minis, partim promissis, ut Christo nuncium remitterent, cum æque contemnerent promissa & minas, post quadrimum denuo in lacum immittuntur, duabus ante meridiem horis, ut lenta nece conficerentur. Mutare tamen statum corporis identidem, & nunc jacere, nunc stare, & parumper emergere jubebantur, ut his vicibus augetur dolor, & constantia tentaretur. Fluxerant horæ sex, jamque occasum sol inclinabat, nec adhuc quemquam vita defecerat. Verum appetente nocte, & ingruente validius vento, aqua congelascens imminentis exitii cunctos admonuit. Hic salutare sese invicem martyres, ut proxime migraturi: invicem se ad constantiam cohortari; orare, ut prout quisque ad coronam præcessisset, deprecatores se pro reliquis constitueret apud Deum. Audiebatur præ cæteris Carvallius, novissimis verbis excitans unumquemque nominatim, omnes admonens, ut ultimam lineam fortiter transilirent. Inter hæc humor lacunæ stringi, ac gelu durari coepit, quo neophyti paulatim alius post alium obriguerunt. Carvallius restabat unus cum morte colluctans, sed adeo placidus & quietus, nullum ut gemitum, ac ne motum quidem ederet. Eum non prius vita destituit, quam paulo ante mediam noctem, post horas ferme duodecim in sævo cruciatu ductas. Postridie mane sacra martyrum exuvia aquis eductæ, ac membratim concisæ, in flumen conjectæ sunt. Carvallii tamen, & alio-

aliorum quatuor exceperunt Christiani capita, & velut res sacras religiose fer-
varunt. Incidit beata istorum mors in VIII. Cal. Martii. Agebat P. Didacus
ætatis annum quadragesimum sextum, ab inita Societate trigessimum. Noftris
fuerat adscriptus Conimbricæ, ubi etiam in lucem editus. Anno sæculi nono
transmiserat in Japoniam eo animo, ut Christi fidem voce sereret, sudore ac
fanguine irrigaret. Hinc cum cæteris Evangelii præconibus exulare iussus, pe-
tiit Cocincinam, ubi novam Ecclesiam cum P. Francisco Buzomio fundavit.
In Japoniam regressus, evasit usque in ultimum ejus angulum Tzugaram, ut
sacrorum ministerio recrearet nobiles Christianos, qui patrio ejecti solo, for-
tunisque spoliati, vitam in luctu & ærumnis trahebant. Primus in provincias
Aquitensem, Scionajam, & Xembocam, evangelicam lucem intulit. Voxuanum,
ac Devense regnum perdiu lustravit, & erudit. Nec contentus Japoniæ cam-
po operarius infatigabilis, ultra ejus fines excurrit in Giezuum, ubi rem divi-
nam, ut supra memoravimus, primus fecit. Tantum vero in his perficien-
dis hausit laboris & ærumnarum, ut intolerabile glaciati fluminis frigus, non
tam laboriosa vitæ, quam diuturnæ morti finem attulerit.

Didaco simillimus virtute, laborum tolerantia, cognomine, atque ipsa
necis causa fuit P. Michael Carvallius, quem eodem anno Japones crudeliter
interfecerunt: una re multum dissimilis, quod ille aqua, hic flammis extinctus
est. Menses jam tredecim servabatur Michael in carcere Omurano cum tribus
diversorum ordinum sacerdotibus, Petro Vasquez Dominicano, Ludovico So-
telo, & Ludovico Saffanda Saffandæ, quibus accesserat alter Ludovicus gen-
te Japon, Soteli olim famulus, & nuper in tertium, ut vocant, ordinem
S. Francisci assumptus. Unum, & commune omnium crimen, religio Christi
per Japoniam disseminata: quod cum capitale esset, eos pariter damnavit rogo
tyrannus, & una die vivos comburi iussit. Id ut viris fortissimis nunciatum
est, vix credibile quibus inceserint gaudiis, quantaque significatione letitiæ
optatum diu nuncium exceperint. Exilire, sibi invicem gratulari, Numini ut
de maximo beneficio gratias reddere. Diceret ad triumphum, non ad acerbissi-
simam necem vocatos. E custodia producti sunt VIII. Cal. Septembres, sin-
guli religioso instituti sui vestitu amicti, vincitis manibus, fune cervicibus illi-
gato. Dum ad locum supplicii duo inde millia passuum transvehebantur mari,
psalmos læto cantu concinuerunt, mirante hilaritatis novæ speciem multitudine,
quæ ex omnibus circum pagis prope infinita confluerat. Ut fuerunt in
conspectu rogi, coeperat Carvallius ad confertum populum verba facere, se
christianum, imo Christi ministrum libera voce contestans, & sempiternum
exitium denuncians ethnicis, nisi christianam fidem amplecterentur. At stoma-
chati præfides, reum capitis damnatum, in ipso loco supplicii, tam audacter
eloqui, & minas etiam jactare, tortoribus innuerunt, ne differrent ad suum
singulos stipitem alligare. Alligati sunt, vinculis consulto adstrictis laxius, ut
possent erumpere, si quem patientia deficeret. At spem impiam elusit constan-
tia martyrum, qui oculis in cælum coniectis steterunt immobiles, quamvis
non tam ardere, quam ustulari paulatim cogere, quippe remotioribus li-
gnis, & sparsim ac maligne congestis. Quin male conceptus artificum dolus in
laudem christianæ fortitudinis cessit. Nam cum Ludovico laico flamma propior
vinculorum nexus exsolvisset, occurrit medios inter ignes ad sacerdotes, illo-
rumque pedes pie osculatus, ad suum se retulit palum, cui leniter acclinis
victicem animam primus efflavit. Haud diu post illum superstes Carvallius fuit.
P. Ludovicus Saffanda, exustis funibus, ad reliquos duos qui supererant sacer-
dotes ire coeperat, ut eos ultimum complecteretur: sed cum non posset correptis
igne pedibus ingredi, eos e suo stipite veneratus, concidit. Sotelus, &
Vasquez vitam, & patientiam ad tres ipsas horas produxere, quia ignis ab ea
parte remotior fuit, & parcior. Hunc mortalis vitæ finem habuerunt viri præ-
clari, quorum reliquiæ, ne quid Christiani ad venerandum surriperent, in ci-
neres redactæ, & procul in alto mari dissipatæ fuerunt. Sit ergo reliquiarum
loco

234.

P. Didaci Car-
vallii elogium.

235.

P. Michael Car-
vallius ad ro-
gum ducitur
cum aliis qua-
tuor religiosi.

236.

Cum iis-
dem comburi-
tur igne lento.
Mira omnium
fortitudo.

237. P. Michaelis Carvallii elogium, & vitæ compendium.

238. Quo flagra-
ret desiderio
martyrii ex
quadam ejus
epistola.

239. De quadam
epistola in So-
cietatem contu-
meliosa.

loco memoria ipsorum, ac de nostro Carvallio (nam de aliis alii scripserint) quæ scitu digniora sunt quam brevissime expediamus.

Natus erat P. Michael Bracharæ, nec dum vigesimum ætatis annum expleverat, cum nomen Societati dedit. Goam quinquennio post missus, ibi theologiam didicit prius, mox ob ingenii doctrinæque magnitudinem etiam docuit. Translatus inde fuerat Bazainum, eoque in collegio apostolici operarii partes egregie implebat: cum Goanæ provinciæ Præpositus Joannes Madeirus, nescio quid molestiarum illi metuens a potentioribus, frustra conscientiæ fiduciam obtendenti præcepit, ut festim longissimo per Philippinas ambitu navigaret Romam. In itinere navis qua vehebatur, dum occursum Anglici myoparonis fugit, quassata ventis, & vi tempestatis adacta ad proximam Sinarum oram, naufragium fecit: ipse ejectus in littus, Macaum se recepit. Aderat tunc Macai P. Hieronymus Rodericius, Japoniæ & Sinarum visitator, qui causas tam longi itineris edoctus, cum non ultra progredi passus est, sed paratum ad omnia, & æstantem desiderio martyrii, ire in Japoniam jussit. Delatus Nangafachium Carvallius, ibique per dies aliquot commoratus, secessit in insulam Amacusam, ut procul a tumultu illorum temporum linguam gentis perdisceret. Jam nonnullam ejus copiam erat adeptus, jam frugiferam christianis ethnicisque navabat operam, cum detectus ab exploratore, defertur ad præfectum regionis, & comprehenditur. Cum nondum esset constitutum quid capto fieret, & adhuc in privatis adibus custodiretur, affuit adulta nocte regius minister, remotisque arbitris, vitam illi, & libertatem obtulit, imò & comæatum, & navim, qua deportari extra Japoniam posset, si modo indicaret de hospitibus, apud quos hætenus diversatus fuisset. Negavit breviter ac præcise Carvallius se facturum: quare die postero in Omurensem carcerem abripitur. Hujus angustias ergastuli vir patientissimus per tredecim ipsos menses, non æquo solum animo, sed etiam hilari, & exportecto pertulit, ærumnas loci cumulans voluntaria corporis castigatione. Quotidie se flagris immittibus concidebat. Mollius existimans cilicium ex hircinis equinisve fetis confectum, utebatur alio quodam ferreis cuspidibus introrsus extantibus aspero. Terna singulis hebdomadis jejunia tolerabat: feriam vero sextam, & pervigilia festorum, arido pane, ac puro latice transigebat. Tantam patiendi famem acuebat orandi contentione assidua, & mente in Deum fere semper erecta. Quis jam satis commode explicet, qua exiliret lætitia ob expectationem beatæ pro Christo necis, utque ad ejus vel levissimum rumorem triumpharet? Nunquam ego in animum induxissim (sic ille in litteris ad P. Benedictum Fernandium, qui nono post anno in odium religionis pariter casus est), tam suavè esse pro Deo pati. O me beatum, carissimè Pater, si mediò in rogo deflagrarem, tam boni Numinis causa! Quibus incederem lætitiis, si membratim concisus, hanc qualemcunque vitam offerre possem tam dulci Domino, qui me tot beneficiis immerentem cumulavit, qui tanta sollicitudine quæsit errantem, qui tandiu, tam amanter, licet ingratum & rebellem, expectavit, ac tulit! O amantissime Jesu, æquam rependere tibi gratiam de me tam bene merenti possum! Quibus suppliciiis satisfacere justitiæ tuæ! Quibus officiis referre par bonitati! Ubi rotæ, ubi equulei, busta, secures, & lanienæ! Præsto sum. *Da Domine quod jubes, & jube quod vis.* Jam mihi terrena sordent omnia: jam placere nihil potest, nisi unum, pati pro Christo, & mori. Hæc martyris quondam Ignatii, nunc Carvallii vota erant, quæ habemus utriusque litteris consignata. His ego facile adducor ut credam, quod tradit Bartolus, Carvallium aliquando rejectum fuisse a judicibus, veluti fatuum, aut temulentum. Divinæ nimirum charitatis musto ebrius, aliena loquebatur a communi hominum sensu, quoties Christi & religionis nomen in sermonem veniebat. Numerabat vitæ annos quadraginta septem.

Est hic dicendi locus de quadam epistola in Societatem contumeliosa, quam cum aliis calumniis in Europam delatam, ac longe lateque dissemina-

tam

tam indicavimus libro hujus historiae septimo. * Tribuebatur enim venerabili viro Ludovico Sotelo Franciscano, cujus gloriosum pro Christo certamen modo retulimus. De falsitate accusationum non quarimus, probe gnari, ad eas refellendas satis superque argumenti esse in iis, quæ de nostris narrata sunt hæcenus, & in decursu annalium narrabuntur. Qui sic vivere, sic mori non dubitarent, eos plane defensione nostra egere non arbitramur. Adde quod criminationes easdem, ut ibidem dictum est, contempserunt ex æquo Philippus Rex Catholicus, & Urbanus VIII. Pontifex maximus, quorum gravissimum sanctissimumque judicium facit, ut potiori jure a nobis contemnendæ videantur. At vindicanda Soteli ipsius fama, cui qui talem adscripserunt epistolam, non tam nobis, quam ipsi injuriam irrogarunt. Eam sane Joannes Ceyicus Archiepiscopi Manilensis vicarius, post peragratam Japoniam fere omnem, peractamque de re tota quæstionem accuratissimam, manifestis mendaciis referam deprehendit. Cui jam credibile videatur, Sotelum, virum optimum, quo maxime tempore vincus pro Christo tenebatur, & necis denunciationem per momenta singula expectabat, voluisse mentiri adeo turpiter, idque in detrimentum alienæ famæ gravissimum, & gravius conscientiæ suæ? Hac profecto conjectura, aliisque rationibus & testimoniis non dubiæ fidei convictus Ceyicus, supposititiam esse epistolam, & adulterinam confecit, editoque opusculo demonstravit. Cujus auctoritatem viri si quis forte infringi existimaret testimonio Colladi illius, qui calumniosam epistolam spargendam suscepit, is velim paulum memoria repetat quæ de Collado, ejusque molitionibus alibi differebamus, ac facile sibi persuadebit, neminem illo minus debuisse nostris hominibus obloqui. Non alius certe fuit in Japonia religiosus, qui tyrannum acerbius irritaverit, & gravius religioni vulnus infixit. Sed odiosa hæc prolixius exequi, nec otii, nec operis nostri est: & quocumque demum erga nos animo Colladus fuerit, major a nobis debetur religiosissimis ejus sodalibus reverentia, quam ut de illo plura dicamus. Ad ea igitur, quæ hoc anno acta sunt, regrediamur.

Prætor Philippinarum miserat ad Imperatorem Japoniæ splendidam legationem, ad amicitiam, & jus commercii redintegrandum. Eam superbe rejecit tyrannus, legatos vero nec auditos dimisit cum ignominia, aperte contestatus, scire se quo spectarent fraudulenta Hispanorum officia. Amicitia, & negotiationis obtentu aditum quæri scilicet christianæ legis præconibus, qui publicam perturbarent Japonum rem, & secuturis mox legionibus viam sternerent. Hoc olim consilio adventasse non paucos, ac præ reliquis illum Firandensis carceris effractorem. Sed jam intelligerent Castellani, sibi tota Japonia sub poena capitis interdictum esse, nec futurum impune, si quis intra illius fines auderet pedem inferre. Sic Hispani ab Japonia in perpetuum exclusi. Mitius constitutum de Lusitanis Macao navigaturis. His, non negata præcisè potestas in Japoniam adveniendi, certis tamen legibus definita est, poena capitis proposita, si vel unum apicem transilirent. Prima lex, ne quo deinceps appellerent, præterquam Nangasachium. Ibi præsto futuros regios satellites, qui vectores, sarcinas, navium penetrabilia omnia diligenter excuterent. Altera, ut quoties vela facturi essent, magistratus Macaensis mitteret iisdem navibus nautarum vectorumque omnium indicem ad prætorem Nangasachiensem, qui neminem fineret in terram exscendere, nisi esset descriptus in sillabo; repetentibus vero Macaum navibus, omnes abire pariter cogeret, ne uno quidem in Japonia relicto. Postremo Macaensibus diserte denunciatum, capitale fore, si occasione comæatus clam religiosorum quempiam adveherent ad christianam sectam diffeminandam, quam Imperator totis regni sui finibus excisam vellet. Lex præterea Yedi posita, ac per omnes provincias circummissa, ne Christianis in posterum copia fieret navigandi extra fines imperii, nisi prius suam sectam publice ejurassent. Neque id satis. Multi, cum Hispani, tum Lusitani negotiatores domicilium fixerant intra Japoniam, & matrimonia junxerant cum indi-

genis.

* Num. 226.

240.
Falso fuisse suppositam P. Ludovico Sotelo Franciscano.

241.
Imperator legationem Hispanorum rejecit, iisque Japonia interdicta.

242.
Lusitanis in Japoniam navigaturis certas leges præscribit.

243.
Alia Imperatoris edicta ad excidium religionis.

genis. Cunctis indictum, ut relictis uxoribus liberisque, regno quamprimum excederent: quæ res ut innotuit, dici vix potest quam gravi & acerbo luctu regionem omnem compleverit, æque complorantibus qui manere, quique migrare jubebantur, ut qui mutuas, & arctas adeo naturæ necessitudines abrumpere cogebantur. Solis permittum Batavis & Anglis, ut libere subsisterent in imperio, & sua mercimonia impune exercerent. Hos quippe dictabat Imperator, minime esse in Christianorum numero habendos, qui christiana religionis signa, cruces, rosaria, imagines sanctorum, aliaque id genus proculcarent, religiosos verò ac sacerdotes educerent e suis latebris, & in judicium manus traderent. Denique quod de religiosorum hospitio constitutum antea fuerat, non modo firmatum hoc anno, sed & severioribus legibus circumscriptum. Nam cum antea capite plecterentur soli patres familiarum, qui prope religiosos domicilium habuissent, essentque hujus propinquitatis definiti termini, aedes quinque ex una parte, & ex alia totidem; nunc additum, nullo atatis, sexus, aut conditionis discrimine, ut parem lueret poenam quicumque ad magistratus non detulisset religiosum intra eandem viam, & in eodem tetorum ordine habitantem. Quo, ut nihil excogitari potuit inhumanius, sic neque ad religionis perniciem accommodatius. Nullus enim usquam locus in urbibus relinquebatur divinæ fidei magistris, cum omnium æque intererat, ne quo in angulo delitescerent. His machinis favus Imperator nutantis religionis ruinam ultimam urgebat. Sed relicta Asia, in Americam excurramus.

^{244.} Clades Brasiliæ acciderat anno superiore, qua non alia gravior, aut luctuosior. Nulla erat ibi respublica, nulla religio, nisi utramque perditam, & afflictam Lusitani pariter & Hispani conjunctis viribus restituisent. Rem, cujus pars non exigua pertinuit ad Societatem, libet in nostris annales referre. Postridie nonas Maji, nec opinantibus Lusitanis, apparuit classis Batavica navium viginti sex, cum decem lembis, ante officia sinus, cui adjacet Soteropolis, urbs regionis primaria, quam usitatio vocabulo Bahiam nominant. Rei adnotus Brasiliæ gubernator Didacus de Mendoza, statim expediri arma jubet, communiri loca opportuna, excubare militem: omnia providet, quæ a prudenti viro, ac perito belli duce tam subitum rei summæ periculum postulat. Si parem ejus industriæ virtutem milites adhibuissent, redibant procul dubio Batavi re infesta. At nescio quo fato accidit, ut hoc illi loco deessent sibi, nec recordarentur se Lusitanos esse. Steterant Batavi diem integrum in conspectu urbis, ac primo, velut incerti quo se ejicerent, huc illuc proras simulate converterant. Diviserant postea classem, specie quidem quasi plures in partes imminerent, re ipsa ut fallerent defensores, eorumque vires distraherent. Id ubi evenisse e sententia vident, conjunctis quam celerrime navibus, irruunt uno impetu in littus, qua parte facilior videbatur ad urbem accessus. Eminebat haud procul propugnaculum S. Antonii, erantque ibi in presidio milites haud ita pauci, qui facile possent excensionem hostium prohibere, aut saltem remorari tandiu, donec alia cohortes subsidio venissent. At, sive consilium, quod in subitis casibus facile perturbatur, sive dux aptus deesset, presidarii in fugam consternati vim nullam fecerunt, ac ne tentaverunt quidem. Itaque egressi in littus nemine obsistente Batavi, numero fere mille & quingenti, primis tenebris ad urbem contendunt. Cœnobium occupaverant ad teli jactum ab urbe, parabantque eum locum raptim operibus communire, ut obsidione premerent civitatem. Hac illos cura liberavit eadem nocte militum, & oppidanorum ignavia, qui terrore fummo correpti, obtestante frustra governatore, ac per superos omnes rogante, ne communem patriam tam indigne proderent hostibus, & hæreticis, alii alio dilapsi sunt, urbemque indefensam, ac pene vacuum reliquerunt. Restabat cum parva militum manu Mendoza: sed cum tueri urbem non posset ullo modo, sponderentque contra Batavi, si se tradidisset, dimissum iri incolumem & armatum, postridie deditionem fecit. Bahia in hunc modum capta, facile invenerunt victores quam ob-

^{244.}
RES BRASILIÆ.
Bahia a Batavis
expugnatur.

^{245.}
Quid gesserint
in urbe capta
victores.

tenderent perfidiæ causam. Paſtorum quidem certe fidem non ſervarunt, ſed dedititios ad naves traduxerunt, & in cuſtodiam tradiderunt. Poſt hæc urbem depopulari aggreſſi, cum domos pleraſque vacuas, & ſummam ubique ſolitudinem invenirent, adjecerunt animum, ut urbi deſolatæ frequentiam priſtinam redderent. Eo conſilio edictum propoſuerunt, quo cives & colonos profugos in patriam revocantes, ſanctè pollicebantur, ſuas ſingulis ædes fortunæque reſtitutum iri, ſi modo parati eſſent ſacramentum dicere Arauſienſi Principi Mauritio, ſoluturi deinceps Batavo tributum nihilo gravius, quam hæcenus Regi Catholico pendere conſueviſſent. Clericis etiam, & religioſorum familiis eodem edicto ſua domicilia, ac templa reſtituebantur, cum facultate catholici cultus privatim exercendi: exceptis tamen ab hac indulgentia Jeſuitis, qui nominatim jubebantur totius Batavicæ ditionis finibus abſtinere. Cæterum edicti uſus fuit nullus, ne uno quidem invento, non modo ex miniſtris Eccleſiæ, ſed neque ex civibus paulo honeſtioribus, qui hoſtium beneficio uti vellet. Adeo viſum cunctis tolerabilius exilium, quam hæreticorum imperium. Ea res Batavos irritavit. Iram ut explerent, minime temperantes a violanda religione, ſacra omnia Catholicorum indigne admodum, impieque ſœdarunt. Aras pro-ruerunt, ſuperum imagines everterunt, veſtigium omne religioſi cultus ſuſtulerunt. Templum urbis primarium addictum eſt Calvinianæ ſuperſtitioni: cætera in apothecæ mercium mutata. Ex noſtro cellam vinariam fecerant, permiſſo ad habitandum collegio negotiatoribus, qui claſſem ex Belgio ſecuti fuerant. Verum his inquilinis (ſi vera narrant) nunquam licuit pacatis, quietiſque eſſe. Quoties ſomnum ceperant, nocturnis fragoribus excitabantur, & quodam veluti irruentium armatorum fremitu terreabantur. Cum nulla ſe proderet cauſa, venit eis in mentem ſuſpicari, forte magnam auri argentique copiam fuiſſe a noſtris relictam humi conditam: errore quodam, atque opinione vulgi, cui perſuaſum eſt, circa theſauros terræ viſceribus abditos ejuſmodi ſre-pitus audiri ſolere. At omnia diligentiffime perſcrutati, nihil invenerunt. Quid vero invenirent? Socii Bahienſes, tunc ut cum maxime oppreſſi ære alieno, non habebant ſane quod terræ infoderent: ſacram vero & domeſticam rem in illa tumultuaria fuga, nec efferre poterant, nec abdere, ſed totam hoſtibus diripiendam permiferant.

Nec eo tamen finita eſt noſtrorum acerbitas, ut amiſſum dolerent collegium cum omni re familiari. Acceſſit ad cumulum mœroris alia calamitas, quam modo explicandam ſuſcipimus. Paulo poſt deditionem Luſitanorum, de qua dictum eſt ſupra, P. Dominicus Coelhus Præpoſitus provincialis, Bahiam revertebatur mari, rerum quæ acciderant proſus ignarus, unaque veniebant alii novem de Societate, in quibus P. Antonius Mathos, Coelhi in adminiſtranda provincia ſucceſſor designatus. Dum ſinum Bahienſem nihil hoſtile, ſuſpicantes ſubeunt, intercipitur ex improviſo qua vehebantur oneraria, ipſi in hoſtium acerrimorum poteſtatem veniunt. Non dicam ut triumpharint ea præda Batavi, quantaque ſævitiæ captos vinculis & ferro oneraverint. Quod dolendum magis, nulla Patribus relinquebatur ſpes libertatis pretio redimendæ. Ita namque prædones antea conſtituerant, ut quicumque religioſorum capti eſſent, ii deportarentur in Hollandiam, permutandi cum nobilibus quibuſdam ſuæ gentis militibus, qui apud Hiſpanos captivi detinebantur. Ecce autem, ut eſt quædam conſociatio inter infortunia, illis mox adjunguntur alii duo di-ræ captivitatis comites, P. Gaſpar a Silva, & P. Simon Sotomayor, quos in Luſitaniam navigantes iidem hoſtes oppreſſerant. Atque hinc viri omnino duodecim de Societate, cum ſuo provinciali Præpoſito, onuſti vinculis, & præter modum inclementer habiti, cum diu partem navis olidam & anguſtam habuiſſent pro carcere, Amſtelodamum devehuntur, & in cuſtodias publicas conjiciuntur. Ibi per meſes amplius viginti vitam ærumnoſiſſimam egerunt, donec interventu Mutii apud Iſabellam Belgii gubernatricem, hujus vero, & Gallici oratoris officii apud Batavos, dimiſſi ſunt, facta quam dixi captivorum

To. I.

Z z z

per-

246.

Peculiare eorum odium erga Societatem.

247.

Nocturni audiuntur ſtrepitus in collegio.

248.

Capitur Præpoſitus Provincialis cum aliis undecim de Societate.

249.

Qui ſimul deportantur in Hollandiam.

250.
Quas in angustias devenerit provincia.

permutatione. Sed de his alibi fermo recurret. Destitutam interea suo moderatore provinciam regendam sumpserat P. Ferdinandus Cardimus, rector collegii Bahiensis, quaque solertia vir, familia suâ quaecumque testum providerat extra Bahiam. Verumtamen tam difficili angustoque reliquæ res erant loco, ut humanis consiliis expediri vix posse viderentur. Nam cum collegium Bahiense esset provinciæ maximum seminarium, alumnis proinde ac professoribus frequentissimum, neque solum domicilio, sed etiam proventuum parte maxima spoliatum fuisset, ei alimenta subministrare difficillimum erat: quam multi difficultatem pro merito astimantes, provinciam Brasiliensem putabant, aut periisse jam Societati, aut proxime perituram. Deo tamen bene favente, spe citius calamitas est omnis depulsa: ejecti Batavi, sedes imperii legitimo regi, & sua nostris hominibus recuperata. Quod quemadmodum gestum sit, nunc quam brevissime explicandum.

251.
Bahiam Regii recuperant.

Anno ab urbe capta nondum evoluto, iv. Cal. Aprilis, adest Fridericus Toletus cum classe navium sexaginta in conspectu Brasiliæ, & quinque legiones ad Bahiæ littus exponit. Eodem mox contrahens quidquid uspiam erat copiarum in Brasilia, habuit sub signis exercitum florentissimum, armatorum quindecim millia, & si quid amplius. Hinc urbem agmine tripartito aggreditur: obsidionales accessus, cuniculos, tormenta promovet. Cum simul vetaret, ne qua parte annona in urbem inferretur, brevi in eas coniecit angustias Batavos præfidiarios, ut ante finem mensis ad deditionem compulsi fuerint. Deditis servata ex pacto vita, & libertas. Arma, & reliquas belli opes victores tulerunt, relicto duntaxat centurionibus & præfectis ense. Redituris in Bataviam, naves & comæatum Toletus dedit. In hunc modum recepta est urbs Brasiliæ caput, insigni victoria, & magna commendatione victoris exercitus. Urbi deinde sua quies, & frequentia reddita. Sed ut tribuenda militi laus ob

252.
Nostrorum res gesta in obsidione urbis.

rem præclare gestam, ita nostrorum non tacendus labor, Deo, Regi, ac rei publicæ per eam occasionem impensus. Patres duodeviginti in regis castris erant, ita per castella stationesque militum distributi, ut præsto esse possent ad omne obsequium, quod necessitas posceret. Principio universum exercitum expiaverunt, pane Angelorum refecerunt, ad gratuitam noxarum veniam, quæ indulgebatur ex formula Pontificii diplomatis, excitaverunt. Nec postea intra munitiones, aut in umbra tabernaculorum continuerunt sese, sed in aperto pulvere, inter igneas glandes, & omne missilium genus, pugnantibus affuerunt. Sæpe enim, erumpentibus ex oppido Batavis, in pugnam procursum est, sæpe confertæ manus, nec pauci ex regis in acie prostrati. Fuit in his summus castrorum metator, Petrus Osorius, cui saucio contigit plane feliciter, ut sub ipsam expiationis formulam occumberet, iterum hostili jaculo transverberatus. Postquam bello finem victoria imposuit, primum omnium pro felici exitu expeditionis Deo O. M. solemnem gratiarum actio est perfoluta. Tum ad restituendum catholicæ religionis cultum, purgandasque ab hæreticorum sordibus sacras ædes, studium omne conversum. Brevi spatio sacra omnia ad nitorem pristinum redierunt. Non ita facile nostri resarcire potuerunt illata collegio damna, quorum etiam longe post victoriam incommoda experiebantur. Amisissis ex parte vestigalibus, direpta domo, hujus præterea parte tormentis diruta tempore obsidionis, vix habebant quo vitam tuerentur. Novum addidit incommodum præda ex hostibus capta, quæ cum fuisset in collegio nostro congesta, ad ejus custodiam intra ipsos collegii parietes statio militaris collocata fuit, unde imposita Patribus necessitas recipiendi sese in interiorem ædium partem, habitandique ad aliquot menses angustius, ne commercia promiscua sociorum militumque offenderent rationem domesticæ disciplinæ, & solita religionis officia turbarent.

253.
Damna collegio nostro illata.

Quo tempore Bahiam occupabant Batavi, difficile non fuit nostris, ut in extremo infortunio, Brasiliæ populis persuadere, ut sincera detestatione criminum, & morum emendatione placarent iram Numinis. Id cum ubique præ-

prælitum, tum præcipue in colonia fluminis Januarii, ad quam putabantur Batavi cum infesto exercitu progressuri. Excitati Patrum concionibus cives militesque, contra instantis belli pericula munierunt sese jejuniis, precibus, expiatione conscientia: tanto nimirum alacrius, si se daret occasio, pugnaturi, quanto minus esset cur mori pertimescerent. Nec interim omissa cura, muniendi operibus oppidum, cæteraque expediendi, quæ belli usus posceret: qua etiam in re magnopere laudatam invenio nostrorum industriam. Ipsi ex proximis, quos curabant, neophytorum pagis munitores adduxerunt, ipsi instantes operi, & suis sæpe manibus aggerem comportantes, munimenta quam citissime perfecerunt: quod adeo probatum est civitati, ut Patrum in eo opere solertiam, ac diligentiam satis prædicare non possent. Et visus per eam occasionem Deus laborem pro communi salute susceptum, non solum probare, sed etiam præsentem mercede remunerari. Dum ex omnibus circum locis neophyti Januarium ad munitiones perficiendas confluent, sine robustiori atate desererebantur pagi complures. Id subdorati Guaitacali, gens silvestris, & ferocissima, consurgunt repente cum armis, & ad unum ex desertis pagis convolant infesto agmine. Nihil præsidii, nihil spei erat in incolis, quippe senibus duntaxat, feminis, puerisque. Cum tamen actum videretur de miserabili, & imbelli turba, & jam terrorem inter, & luctum omnia femineis clamoribus perstreperent, periculum adeo præsens, quæ fuit Dei benignitas, nullo negotio discussum est. Contra furentes barbaros duo tantum ex nostris prodierunt, eosque amice salutatos alloquio demulserunt sic, ut momento eodem ferociam posuerint hominum immaniissimi, & sine cujusquam injuria terga dederint. Hæc in ea parte Brasilia, quæ ad austrum vergit. In opposita, quæ præfecturam complectitur Pernambucensem, spectare licuit, qua essent adversus Regem fide neophyti Societatis curæ concrediti. Batavis intra Bahiam obfessis auxilio veniebant bellica: nescio quot naves ejusdem gentis, refertæ milite, & omni belli copia instructæ: cum Præfectus classis certior factus, perditas esse suorum res Bahyæ, proindeque frustra futuram opem, quia nimis feram, prorsus convertit ad finem, quem insidiarum vocant. Excensione facta in tractum præfecturæ Pernambucensis, quinque jam pellexerat pagos neophytorum, ut foedere secum inito, deficerent a Lusitanis. Idem mox conari cœperat in aliis, quos regebat Societas: at perspicere potuit, quibus imbuantur præceptis qui nobis in disciplinam traditi sunt. Edocti neophyti, sanctissimam rem apud Christianos esse fidem regi debitam, nec licere eam quacunque causa violare, adeo nihil capti sunt ejus pollicitationibus & muneribus, ut imo amicitiam offerenti arma obverterint. Et quamvis ille ab incepto destitisset, miserunt nihilominus ad præfectum Pernambucensem delectos e suo corpore sagittarios trecentos, quibus in regias copias adscitis uteretur ad repellendos hostes, & ulciscendos rebelles. Notavit fidelitatem eximiam Præfectus, eamque non immerito tribuens institutioni nostrorum, aliam nobis eodem anno curiam neophytorum tradidit in pago, cui nomen Unio.

Provincia interea Peruanæ luctuosum hunc annum obitu suo fecit P. Bartholomæus de Escobar, vir sanctitate insigni, nec minori doctrina, quam multis editis concionum voluminibus in publicam utilitatem corrivavit. Natus erat Hispali ex illustri familia. Translatus ab ineunte atate in Peruviam, Societati se adjunxit adolescens annorum septendecim, transcripta prius in usus pios ampla hæreditate, quæ ipsi obvenerat: nec exinde, quamdiu apud nos vixit, per annos omnino quadraginta sex, alias quæsitit unquam, aut in pretio habuit opes, nisi coelestes. His autem ut ditesceret, virtutes omnes, tum quæ ad privatam ipsius perfectionem, tum quæ ad salutem proximorum facerent, eximio coluit. Ut mortalium quam plurimos ad pietatis studia traduceret, excurrebat identidem difficillimis itineribus ad Indorum & Hispanorum colonias, ac præter divini verbi pabulum, quod ad omnes circumferebat, dies sæpe totos ac noctes audiendis confessionibus, aut agrotis sublevandis conterebat. Domi,

To. I.

Z z z

quam-

255.

Duo ex nostris pagum quemdam tuerentur.

256.

Neophytorum quos regebat Societas fides erga Regem.

257.

Nova Societati traditur curia.

258.

RES PERUVIÆ. Obitus & elogium P. Bartholomæi de Escobar.

quamvis præfesset interdum cæteris, de se ut homine nihili, & communi omnium famulo, sentiebat, ac loquebatur. Vestem induebat nullam, nisi usu detritam. In victu, in cultu corporis nihil lautum, nihil singulare admittebat. Bellum secum ipse gerebat implacabile, pravas animi cupiditates perpetuo comprimens, corpus cilicio, flagris, jejuniis subigens. De Christo Jesu meditabatur quotidie, eaque cogitatione plurimum afficiebatur. Inde sacrum ardorem, inde patiendi cupiditatem, inde magnum rerum terrenarum contemptum trahebat. Postremo vitæ triennio amplam patientiæ materiam habuit, unde minime expectabat. Est in India genus culicis instar muscæ grandioris (Utam indigenæ vocant), tam præsentem insectum veneno, ut quem semel aculeo compunxerit, ei caro intumescat statim, livorem postmodum, & ulcus ducat: malum, nisi igne ferroque cohibeatur in tempore, instar cancri serpens, ac prope insanabile. Accidit, ut a venenata bestiola Escobarius morderetur in ipsa facie, quæ propterea foedum in modum est deformata, gliscente sensim ulcere, & proxima exedente. Pestem ut depelleret chirurgus, sæpe carnem vitiatam ac purulentam secuit, sæpe adussit, extrema omnia expertus est, sed nullo successu: adeo se malum virus in intima penetraverat. Molestissimam curationem, & acerbiora ipso malo remedia, patientissime excepit vir patiendi avidus: nunquam auditus conqueri, nunquam moerere visus, prorsus ac si ad omnem doloris sensum obstupisset: ac tandem, vi morbi prævalente, animam Deo reddidit Limæ, III. Nonas Aprilis.

259.
RES
MEXICANÆ.
Obitus & elogium Fr. Francisci de Castro.

Provinciæ Mexicanæ invidit idem annus Fratrem laborum ac virtutum magnitudine summe utilem, Franciscum de Castro, cujus laudes nefas non attingere. Ginesii, quod oppidulum est agri Hispalensis, ortum habuerat Castrus. Migraverat in Mexicum adolescens cum Marchione Villæ Manriquez Prorege, cui ob indolis elegantiam, & morum integritatem erat apprime carus. Ibi, dum ædem sacram Societatis frequentat, contracta cum nostris familiaritate, facile incensus est nostri ordinis desiderio, impetravitque cum bona Proregis venia, ut inter fratres rei domesticæ curatores reciperetur. Erat tunc annorum viginti quinque. Quadraginta post hæc annos vixit, eorumque partem maximam traduxit in Cinaloa. Principio comes additus fuerat P. Gonzalo de Tapia, primo ac celebri illius gentis Apostolo. Hunc ut audivit a barbaris crudeliter interfectum, advolavit ad locum cædis, cadaver sanguinolentum largo deterfit fletu, & christiano ritu composuit, unam præcipue rem dolens, ac sibi multum exprobrans, quod sine filio pater, quod sacerdos sine ministro ad sacrificium esset progressus. Parem moriendi pro Christo sortem Castrus, ut summe discuperet, nunquam obtinuit: sed ejus tamen non unam compensationem quaesivit sibi. Vel illud quantum est, quod vitam inter summos labores totam exegit, nulla unquam cessatione admissa! Cum primum venit in Cinaloam, viderat habitare Patres perincommode in tuguriis e stramine. Ipse, adhibitis statim in laboris partem indigenis, domum bene materiata extruxit sua manu, addidit domui templum ejusdem operis, Deo, ejusque famulis hospitium pro loco non spernendum adornavit. In eo postmodum domicilio partes omnes domestici ministerii sumpsit, coquus idem, janitor, olitor, valetudinarius, adituus, & si quid aliud usus familiæ posceret: quæ omnia ita curabat, ut ad barbarorum etiam institutionem non nihil conferret, quoties Patres ex hibernis, ut ita dicam, ad opus evangelicum egrederentur. Neque id satis. Labores robustissimo cuique opprimendo pares cumulabat voluntario cruciatu, cibo utens tenuissimo, ac fere arido, strato cubans nunquam, flagris se quotidie, acriterque concidens. Ausus præterea est negatam inter barbaros beatæ mortis palmam quaerere inter ægrotos, quorum ut arumnas levaret, discrimini præsentissimo se objecit. Scyiebat in Cinaloa lues pustularum, malum ibi frequens, & qualibet peste exitialius. In tam dira calamitate Castrum, cerneret Indorum mapalia dies noctesque concurrere, moribundis infantibus baptismum impertiri, ægrotos sanie taboque diffuentes alloquio, cibo, &

quæcumque posset ope recreare, mortuos ad sepulturam efferre, nullum vitæ mortisque respectum habere: ut mirum acciderit, qui sic periculo se exponeret, eum contagione ejusdem mali non fuisse prostratum. Martyrium denique tantopere concupitum rependit illi ex parte genus mortis ærumnosissimum, quo extinctus est. Egressus enim, nescio qua causa, e sua statione, longe progressus fuerat: cum subita vi morbi jacere in deserto mapali cogitur, omni humano solatio destitutus. Ibi cum acerbissimis doloribus tandiu certavit, donec in tristi solitudine, in summa rerum omnium inopia, quodque gravius, procul a conspectu sodalium, in amplexu tamen Christi crucifixi, animam exhalavit, annos natus sexaginta quinque. Contigit ejus obitus intra annum de quo scribimus, sed quo potissimum die, incertum.

Librum, qui præ manibus est, claudere libet in Paraquaria, de qua nihil proximis duobus annis attigi, non inopia, sed natura rerum, quarum series si in exiles partes discerperetur, hiulca nimis, & intercisa narratio esset. Nunc quæ toto triennio gesta sunt colligam, inde historiam repetens, ubi fuit abrupta. Post Petrum de Ognate regebat Societatem Paraquariensem P. Nicolaus Mastrillus Durandus, huc translatus e collegio Limensi, cujus præfecturam gesserat. Eo provinciam obtinente, novæ barbarorum nationes deteguntur, & Christo primum, tum etiam Hispaniarum Regi subjiuntur. Auctores istiusmodi accessionum, iidemque primarii administri, homines Societatis fuerunt. Fuerunt præ cunctis Patres Didacus de Boroa, & Antonius Ruizius de Montoya, quorum labores apostolicos paulo infra exequemur. Fuit etiam P. Rochus Gonzalez, operarius in conquirendis acquirendisque ejus oræ gentibus æque strenuus ac felix, cujus nunc difficillimam, sed tamen prosperam expeditionem explicandam suscipimus. Inter plurimos, qui in Paraquarium influunt annes, celeberrimus est, tum spatii longitudine, tum copia aquarum Urvaica. Oritur in finibus Brasiliæ, illabiturque in mediterranea regionis per millia passuum, fere quingenta, ubique aquas intercurrentium fluviorum excipiens. Sensim reflectitur postea, ac versus mare longo tractu procurrit, æquali ferme spatio a Paraquario, cujus opulentiam amulatur, donec in eum lato flexu exonerat se, paulo supra portum Boniaeris. Hoc loco, coalescentibus duobus eximia magnitudinis fluviis, unus efficitur immensi alvei, qui novo nomine Argentus dicitur, & adhuc centum quinquaginta millia progrediens, in oceanum intrat per ostium ejus latitudinis, quam qui minimam faciunt, patere affirmant millia passuum ducenta. Urvaica utramque ripam frequentari pluribus & variis nationibus barbarorum, minime dubitabant Hispani: ne tamen ea adire auderent loca, prohibebantur ferocia incredibili gentium proximiorum, ad quas sæpe aggressi armata manu pervadere, semper cum magna suorum clade repulsi fuerant. Sed quid inaccessum, aut impervium christianæ charitati sit? Profectus e statione Itapuana P. Rochus Gonzalez cum exigua neophytorum manu, loca diu perambulavit inculta, horrida, nullis hominum trita vestigiis, crebro ferarum occurfu formidolosa, donec venit ad confluentem modici annis, qui in Urvaicam illabitur. Venienti occurrit ex adverso cohors barbarorum, referre pedem jubens, & mortem interminans, si porro pergeret. Nihil territus sæva denunciatione vir fortissimus: *Tantum ne inhumanitatis, inquit, filii optatissimi, ut necem illaturi sitis homini prorsus innocio? Tantum insanie, ut inermem timeatis, ut benevolum & amicissimum arceatis? Atqui, nec si moriendum mihi sit, hinc abibo, aut bene vobis facere desinam.* His vocibus comprimi tantisper visa hominum ferocia. Hærent taciti, respectant sese, ac nullo reddito responso dilabuntur. Neophyti, quam mox redituros cum armis suspicantes, orabant impense Rochum ut abscederet. Ille contra timorem intempestivum, coarguens, dimissis cæteris, duos manere apud se jubet firmioris animi juvenes, quos ad sacrorum ministerium duxerat. Aram excitat in eodem loco, & incruenta litans hostia, Deo O. M. enixe supplicat, ut secundet cœpta, quodque ad ipsius gloriam susceptum sit, velit feliciter evenire. Non irritæ fuerunt pre-

260.

RES

PARAQUARIÆ.

Quædam generatim indicantur.

261.

Brevis notitia Urvaicæ annis, & accolarum.

262.

Expeditio ad Urvaicam P. Rochi Gonzalez, ejusque mira fortitudo.

263.
Oppidum con-
dit ab immacu-
lata Conceptio-
ne appellatum.

preces. Adest haud multo post cum ingenti comitatu Casiquius, id est princeps regionis: affatur amice Rochum, multa curiosius exquirat. Postea vero quam intellexit, cujus rei causa Sacerdos Christianorum tam peregre advenisset, ei se, ac populares suos in disciplinam tradit. Successu lætus Sacerdos, erecta ad ripam fluminis præalta cruce, designat locum statim, quem collecti hinc inde incolæ frequentarent ad modum civitatis. Planities erat sex millia passuum a flumine, soli amoenitate & feracitate, humanæ vitæ usibus opportuna. In eam transferri sua a singulis mapalia jubet: quæ iussa facientibus certatim barbaris, surrexit dicto citius lati ambitus oppidum, cui nomen ab immaculato Virginis conceptu factum. Censebantur in novo oppido familiæ plures, capitum ferme duo millia. Brevi spatio oppidani omnes, alii post alios, Christo renati sunt. Hoc decursu temporis oppidum Urvaicensis provinciæ caput fuit. Quod enim futurum sperabat Rochus, ut moti ejus exemplo accolæ in societatem vitæ civilis coire similiter vellent, id successit ad votum, licet nec brevi tempore, nec parvo labore. Adeo barbaris qualibet alia commoditate potior erat vagandi licentia, & nullis restricta legibus vita, cui a primis annis infueverant.

264.
P. Didacus de
Boroa in oppi-
dum contrahit
Acarajenses.

Dum ita Rochus Gonzalus rem gerebat ad Urvaicam, pari fructu P. Didacus de Boroa circa Paranem desudabat. Substiterat aliquandiu vir eximius cum P. Claudio Ruyero in oppido recens ad Iniam annem condito, quod a Christi corpore appellatum alibi dicebamus. Progressus hinc adverso Parane millia passuum amplius nonaginta, venit ad ostium Acaraji, qui annis in Paranem influit; cumque ad utramque ripam sparsæ invenirentur barbarorum familiæ plures, eas unum in oppidum contraxit, & novo oppido a nativitate Virginis nomen indidit. Perrexit hinc secundo adversoque amne decurrere, donec ex omni circum ora ingentem indigenarum numerum in eundem locum adduxit. Illud ægre impetrabat a novis oppidanis, ut sibi quisque domum extrueret. Homines quippe ignavi, & laborum inexpertis, malebant dies ac noctes in aperto transigere, quam manus operi admoveere. Desidiam excussit tigris infesta, at divino reor consilio immissa, quæ cum singulis noctibus exiliret e vicina silva, & multa inferret indefensæ multitudini damna, cessantes admonuit ut consulerent sibi, excitarent propere tecta, iisque se includerent. Vix opus absolverant, utque constaret de prodigio, irretitam cassibus belluam timere desierunt. Pauci aliqui, haud ita multo post, libertatis pristina desiderio capti, fugam tentabant clanculum: sed aufugientes terruit ejusdem generis fera, & in sua tecta redire compulit. Constabilito Nativitatis oppido, ad ejusque curam relicto Claudio Ruyero, progreditur Boroa adverso Parane ad eum usque locum, ubi Iguazuum, quod lingua gentis magnum flumen sonat, evolvit se in Paranem. Magnum profecto est flumen, sed æque aditu difficile. Ad duodecimum ab ostio lapidem erigitur alveus in præruptam rupem, unde aquas præcipitat tam gravi lapsu ac ruina, ut ultra duodecim millia passuum fragor exaudiatur. Hujus objectu rupis Iguazuani, non solum tuti ab Hispanis, verum etiam Evangelii ministris inaccessi usque ad hoc tempus fuerant, nemine auso ad explorandas fluvii ripas propius accedere. Non ideo Boroa despondit animum. Mittit terrestri itinere in interiora regionis certos homines secus flumen inventos, qui contribulibus suis nuncient, adesse Sacerdotem veri ac summi Numinis, paratum ad eos ingredi, & felicitatis aeternæ viam errantibus commonstrare: sed velle prius de ipsorum voluntate cognoscere: ex eorum responsis consilium sumpturum. Progressi cum his mandatis nuncii, redeunt post paucos dies, ac responsum optatissimum referunt, placere Iguazuani quod de peregrini Sacerdotis adventu nunciabatur, nec quidquam futurum in mora, quominus venientem lati susciperent, & docentem audirent. Eo responso apertam sibi messem amplissimam vidit Didacus, ac porro gavissus est. Quod tamen summe cupiebat, ad eam confestim properare non potuit, vocatus ad provinciæ conventum, qui tunc forte indigus fuerat

267.
Creatur rector,
& nihilominus
ad Iguazuanos
revertitur.

Cor-

Cordubæ in Tucumania . Data ergo Iguazuanis fide , se post aliquot menses rediturum , Cordubam proficiscitur . Verum in comitiis se rectorem collegii Assumptionis designatum intelligit , quæ res ipsius cœpta turbabat , spemque omnem de Iguazuanis conceptam præcidebat . Doluit homo Apostolicus supra quam dici possit vicem suam . Cum non liceret delatum a Præposito Generali honorem subterfugere , id saltem summis rogavit precibus Provincialem Magistrillum , sibi ut magistratus ineundi diem proferret , donec obligatam Iguazuanis fidem liberasset : quo impetrato , viam retro relegens , redit ad Acarajenses in oppidum Nativitatis contractos , atque inde ; assumpto expeditionis comite Claudio Ruyero , iterum ad Iguazuanos contendit . Credi vix possit , quam cupide ab iis , ne dicam impatienter expectaretur . Antegredi paululum iusserat nuncios adventus sui , quos pone sequebatur ipse . Vix superato pedibus jugo , unde flumen in præceps devolvitur , gentis legatos invenit obviam missos , & expeditos lintres , quibus in regionem intimam deveheretur . Ad certum usque locum devescto frequentia incredibili occursum est , honoris , & gratulationis causa . Didacus barbaros cohortatus , ut siquidem erudiri commodius vellent , simul apud se considerent in eodem loco , morigeros habuit usque adeo , ut intra paucos dies plusquam sexcentæ familiæ in unum populum coaluerint . Domiciliis itaque tumultuario opere excitatis , stetit oppidum magnitudinis non pigendæ , quod primum ejus provinciæ , ac semen multorum fuit . Oppido nomen a S. Maria majori factum . Fidei christianæ doctrinam , quæ statim explicari cœpta , secundiisimis animis combibebant novi cives , seque ultro , ac suos liberos ad baptismum offerebant . Dilati sunt adultorum plerique , donec uberius eruditi fuissent . Ex pueris tamen amplius septingenta capita primis diebus sacro latice abluta . Quibus positis christianæ religionis fundamentis , gregem Boroa custodiendum tradidit Claudio Ruyero : ipse , quantumvis mœrens , ad regendum Assumptionis collegium ex obedientia discessit . Atque hæc de Urvaicensibus , & Paranensibus .

Plus interea laborum & vicissitudinum fuit in Guairana , nec scio an non etiam seges animarum uberior . Eminebat inter cæteros hujus agri cultores P. Antonius Ruiz de Montoya , vir ad magna natus , & sæpe nobis cum laude nominandus . Idem sparsis per ea loca sociis præsidebat . Contigit ut Lauretanos , qui populus erat totius Guaranae princeps , gravis lues invaderet . Viceni quotidie , tricenique mortalium efferebantur , interdum usque ad sexaginta . Motus tanta neophytorum clade Ruizius , ex oppido S. Ignatii Lauretum , contraxit socios quatuor , qui languentibus præsto essent . Affuit ipse quintus , & multorum partes unus implevit . Rerum gerendarum curas ita diviserat , ut bini corporibus mederentur , alii duo sacra morientibus ministrarent ; qui vero reliquus erat unus , mortuos humi conderet . Patribus ad sua singulis munia intentis , vix credibile quantum , ut in malo , solatium neophyti habuerint . Qui revaluerunt , Patrum præcipue charitati acceptum referebant quod viverent . Qui decefferunt , iis nullum præsidium ad bene beateque moriendum defuit . At enim caro stetit Patribus tam assiduus , & periculi plenus labor . Data fuerat humandorum cadaverum cura P. Joanni Vafæo , homini laborum tolerantia , virtute , industriaque præstanti inter paucos . Is , dum opus injunctum nullo valetudinis suæ respectu exequitur , pestilenti aura afflatus occubuit , nescias utrum graviore damno sociorum , an luctu . Natus erat Tornaci in Belgio , tenui quidem fortuna , sed generosa indole , ac liberali . Ob artem musicam , quam callebat eximie , primo apud Albertum Archiducem , deinde apud Isabellam Belgii gubernatricem graciosus , duo obtinuerat adhuc juvenis sacerdotia , quibus vitam satis commode tuebatur . Ille abdicare omnia , & mereri inter nos maluit . Pietate coactus tirocinium deserere , ut patris inopiæ subveniret , rediit tantisper domum : at , impetrato in ejus usum censu annuo unde viveret , iterum Societati se reddidit . Missionem indicam enixe petiit , cumque inter plures provincias optio a majoribus data esset , Para-

268.
Extruit oppidum a S. Maria majori nuncupatum .

269.
Labores P. Ruizii de Montoya in Guairana , lue saviente .

270.
Mors & elogium P. Joannis Vafæi .

quariensem eo tantum delegit nomine, quia ceteris laboriosorem, ac minus splendidam. E portu Boniaeris, ad quem appulit ex Europa, Lauretum recta petiit in Guairana, ubi per sexennium in excolendis expoliendisque neophytis totus fuit, donec vitæ actuosissimæ coronidem quam dixi imposuit. Præter navatam egregie per usitata ordinis ministeria operam rei christianæ, ad splendorem divini cultus, sacrarumque religionum multum contulit modulis musicis, quam artem apud eas gentes invexit primus, & instituta schola propagavit. De reliquis Vasæi virtutibus nihil amplius dicam, nisi quod scripto testatum reliquit P. Ruizius de Montoya, testis omni exceptione major, qui ejus conscientiam toto sexennio rexerat. Eum, affirmabat, castimonia fuisse angelicæ proxima, quam nullus unquam vapor impudicitiae infecisset, ne in somnis quidem: innocentia vero tanta, ut in confessionibus vix aliquid afferret certæ culpæ, in quod cadere absolutio posset. Semel proinde fuisse monitum, ut de mendaciis pueritiæ confiteretur: at respondisse ingenue, quantum repetere memoria posset, nunquam se esse mentitum. Hæc, & similia multa de Vasæo narrat Ruizius, quæ nisi de viro sancto sanctissimus affirmaret, vix credibilia viderentur. Agebat annum ætatis quadragesimum secundum.

271.
Testimonium
P. Ruizii Montoya de innocentia ipsius.

272.
P. Ruizius Ibitirambetam progredditur. Quæ regio ea sit.

273.
Barbarorum ferociam mitigat.

274.
Oppidum condit sub tutela ac nomine S. Xaverii.

Tali deslitutus socio Ruizius, adeo nihil remisit de labore, ut imo, statim atque in oppido Lauretano sævire desiit lues, festinaverit novi operis materiam alibi quærere. Est in Guairana regio campestris, Brasiliæ obversa, Ibitirambetam indigenæ vocant, ad quam nemo nostrorum adhuc pervaserat, nemo pervasurus impune videbatur. Gens videlicet numero frequens, indole supra communem modum inhospitalis & ferocis, aditus obsidebat omnes, ne qui intro Hispani penetrarent. Præter communia barbarorum vitia, id illi proprium ac singulare, quod humanis carnibus epulari soleret, nihil aque in deliciis habens, ac lautam sibi mensam instruere cadaveribus hostium. Cum decerant hostes, quo loco & numero advenas quosque habebant, ipsi se mutuo venabantur indigenæ, ipsi se macabant, non odio, aut inimicitia, sed ut hilariora convivia celebrarent. Ossa interfectorum in sagittas acuebant, quibus deinde alios interficerent. Ad eos olim progressus P. Josephus Cataldinus, coepto desistere coactus fuerat, non dicam nulla re ad votum confecta, sed cum dedecore potius christiani nominis, & ignominia. Nam cum pramississet ad proximorem Casiquium nuncios adventus sui duos, alter trucidatus fuerat statim; alter vero prostratus metu, vitam flagitio redemerat, & fidem Christi turpiter ejuraverat. Non hæc Ruizio ignota, sed nec magnopere pensata. Divino patrocínio fretus, comites sibi adjungit quem dixi Cataldinum, & P. Didacum Salazarium, cum neophytorum lecta manu: tum adverso ascendens amne Tibaxiva, ad Ibitirambetanos contendit. Ventum erat ad eorum fines. Neophyti, exscensione facta, materiam erigendis tuguriis quærebant. Cum ecce tibi ex adverso barbarorum agmen infestum, cum intentis arcubus, & clamore incondito irruit. Eo aspectu trepidare neophyti, fugam circumspicere. Ruizius redire illos cum Salazario jubet ad naviculas: ibi discriminis exitum opperiri: si quid adversi accideret, fugam secundo flumine maturare. Ipse in eodem vestigio immotus cum Cataldino perstat. Barbari, duorum hominum securitatem insolitam admirati, continuerunt gradum, nec ultra progredi, nec hostile aliquid incipere audentes. Procedit demum unus, cujus præcipua videbatur inter suos auctoritas: salutem amice Patres, quid sibi velint iis in locis rogat. Sacerdotes Christianorum esse se, & religionis inferenda causa advenisse, respondent Patres: simul ei peregrina quadam munuscula exhibent. Perplacuit barbaro hominum comitas, liberalitas, & modestia. Ne multa. Patronum se illis, defensorem, ac ducem offert, comitibusque ut advenas benigne suscipiant innuit. Neophyti, quos hæere ad naviculas dicebamus, admoniti quo res loco essent, procedunt in medium nullo metu, & indigenis consociantur. Proposuit continuo Ruizius, ut eo prorsus in loco oppidum extrueretur, conjunctis deinceps ædibus habitandum. Miro omnium assensu accepta

pta res, ac statim operi manus admotæ contentione tanta, ut quo die Patres aream designaverunt, eodem mapalibus inædificatam aspexerint. Novum oppidum a S. Francisco Xaverio nuncupari placuit, quod initio paucorum capitum, brevi familias mille & quingentas amplius numeravit. Cum enim socialis vitæ genere mirum in modum delectarentur novi oppidani, dederunt operam ut ad contribules suos ejus rei fama pervaderet, atque ipsi ex circumposita gente multos, qui ferarum ritu vagari solebant, ejusdem instituti cupiditate incenderunt. Hinc ad Xaverianos crebræ accessiones. Accurrebant quotidie patres familiarum cum suis liberis & conjugibus, ut apud eos sibi domicilium ponerent. Una die quidam ex proximioribus Casiquiis magnum agmen e suis popularibus in novam civitatem adduxit. Ut in ea confestim radices egerit christiana religio, mox disseremus.

Montoya interim, relicto ad curam Xaverianorum Cataldino, ac secum assumpto Salazario, difficili admodum ac periculoso itinere proficiscitur ad Tajobenses. Magnam Guairanæ partem hæc regio complectitur. Natio, non solum barbara, sed omnino humanitatis expertis. Humanis se ingurgitabant carnibus feri helluones, adeo sine horrore, ut non alias haberent fapidiore dapes. Genti nomen a Tajoba, viro bellica laude claro, & Casiquiorum potentissimo, cujus quam formidabilis potestas, tam atrox & insanabile erat in Hispanos odium, nec, si vera loqui fas est, profus injustum. Namque hæc odii causa. Haud ita pridem qui Villaricanam coloniam administrabat Hispanorum Præfectus, simulata amicitia, Tajobam ad se invitaverat cum tribus aliis Casiquiis, eisque fide publica interposita promiserat, non solum inviolatos, sed honoribus etiam ac donis auctos in patriam redituros. Inescati promissis homines simplicissimo ingenio, Villaricam inermes, ac securi (nam quis fraudem suspicaretur?) venerant. Quos perfidus ut in casses adductos vidit, corripit subito a suis licitoribus, & in carcerem detrudi jubet, frustra que superum atque hominum fidem implorantibus supplicium ultimum denunciat, nisi certum numerum puerorum ac puellarum sibi continuo penderent. Illi, tamen onusti vinculis, ac mortis metu conterriti, iniquam petitionem constantia incredibili repulerunt. Foedam prodicionem qua intercepti fuerant execrantes, nullo adduci pacto potuerunt, ut populares ipsi suos proderent. Tres ipsorum fame voluntaria perire in squalore carceris maluerunt. Tajoba, meliore usus consilio, clam rupit vincula, & celeri fuga ad suos evasit incolumis. At quanto exinde odio adversus Hispanos arderet ipse, quanto suam gentem inflammaret, existimare promptum est. Eorum nec nomen audire sine stomacho poterat. Quosdam sua manu mactasse dicitur hac una causa, quod ad eum pacis conditiones deferre ausi essent nomine Hispanorum. Quos deinde tam acerbe oderat, haud minori fastu contemnebat. Sape illum coloni Villaricani bello petierant, semper victi, & cladibus attriti discesserant, ut jam talem laceßere hostem non auderent. Hæc cum ita se haberent, satis intelligebat Ruizius, cujus periculi futurum esset ejusmodi hominibus se committere. Tamen abreptus divini cultus amplificandi studio, ac spe cœlestis præsidii confirmatus, pervadere ad Tajobenses statuit. Frustra intercesserunt amici, certam vitæ jacturam objectantes. Nullis neque consiliis, neque precibus victus, assumit in societatem gloriosæ expeditionis quindecim probatæ fidei neophytos, & quem sæpe nominavi Salazarium, hisque comitibus longam & impeditam viam ingreditur. Iter octo dierum emensus, reperit ad fines Tajobensium vicum familiarum circiter sexaginta, nactusque homines ingenio mitis ac dociles, bimensem apud eos posuit: quo spatio temporis ab incolis benigne habitus, vicissim illis amplam hospitii mercedem reddidit, cunctis ad Christum adductis. Aberat iter diei pagus, Tajobensium quasi arx, & janua. Huc sibi facilem ut pararet aditum, per certos ex indigenis nuncios munuscula paganis mittit: simul aperiri illis causam adventus sui jubet. Regressi

To. I.

A a a

die

275.

De Tajobensibus, eorumque implacabili odio erga Hispanos.

276.

Ad eos pervadit P. Ruizius cum neophytis quindecim.

die postero nuncii, se amice susceptos narrabant, tuta omnia promittebant. Nihil ergo cunctandum putans Ruizius, succedit illuc cum reliquo comitatu, uno tantum dempto Salazario, cui custodiam collecti nuper gregis commissam voluit in eo, de quo modo dicebam, pago.

277.
Septem neophyti trucidantur. Unius egregium facinus.

278.
Ruizius providentia singulari in tutum evadit.

Ut ventum est ad locum, quamquam benevole in speciem exciperetur, perspicere sibi videbatur in mustantium cæco fremitu, atque in ipso barbarorum vultu quiddam procellosum, ac turbidum, cui subesse aliquid adversi suspicans, noctem proxime consecutam expiandis neophytis, precibusque fundendis totam impendit. Mane summo adest ex improvise turba maleficorum, qui multi in ea gente, & clamore dissono perstreperit. Egreditur e tugurio suo Sacerdos, & ad circumfusam multitudinem sermonem blande convertens: *En adsum, inquit, minister unici ac summi Numinis, ut vos ad promissam Christianis felicitatem perducam. Vera docentem, queso, ne abjicite; nisi forte ruere ultro in æternum interitum magis libet.* Succlamatum ad hæc, mentiri insigniter hominem, qui tales afferret fabulas: deceptorem improbum, ac forte exploratorem ab Hispanis submissum, nec audiendum, nec ferendum esse. Quibus ferociter pronunciatis, discedunt quasi lymphati in vicinam silvam, ubi globum armatorum in abdito collocaverant. Advolat momento post agmen infestum cum horrifono ululatu: adducuntur arcus, stridet sagittarum densa grando. Explosione una septem neophyti telis confixi ceciderunt. Dum reliqui salutem fuga quærunt, eluxit unius fides erga Ruizium præclara, ac sane digna quæ ad posteritatis memoriam transmittatur. Joanni Guarajo nomen erat juveni. Is, unum præcipue peti a barbaris Ruizium videns, raptim induit ejus pallium ac petasum: tum seorsum a cæteris dat se in fugam, eo consilio, ut in se unum converteret insequentium manus, tegentibus interea Sacerdotem aliis neophytis, eumque in nemus proximum rapientibus. Successit pius altus ad votum. Decepti latrones nigro amictu, solum infestati sunt Guarajum aufugientem, nec tamen, quod miraculo proximum videri merito possit, tam multis evolantibus in unum sagittis, ulla hominem læsit. Ereptus instanti periculo Ruizius, captabat silvæ latebras, errabatque cum tribus comitibus, anceps ubi esset, quo se conjiceret. Erranti occurrit, ingens ex improvise gaudium, Guarajus, qui per varias ambages in eundem saltum penetraverat. At neque tutum ibi erat per fugium ab insequentibus barbaris, neque viâ ostendebatur, qua se proriperent. Semitam itaque ingrediuntur angustam, uligine lutulentam, ac densis virgultis obsitam; perque crebra spinarum intercurrentium offendicula manibus genibusque reptantes, evadunt in apertam planiciem secus ripam ignoti amnis. In ea cum parumper confedisent, Ruizius, qui toto cruentus ore erat, atque ita defectus viribus, ut pedibus agre insisteret, nedum progredi ulterius posset, comitibus suadebat, ut abirent ipsi in tutum, relicto se. At erupit omnium una vox, longe sibi fore optabilius circa latera patris ac Sacerdotis sui cadere, quam ipsum eo loco ac tempore deserere. Hancine perfidiam, aiebant, in nos posse cadere putavisti? Nos ut te deseramus? Nos ut parentem optatissimum, quem plus nostris oculis amamus, in tanto discrimine solum, atque indefensum esse patiamur? Dum hæc loquuntur, ferit aures sonitus aquæ remis impulsæ. Rati accedere per amnem hostes, ad silvæ latebras propere recurrerant: cum retro flectentes aciem, duos vident in navicula fenestras placidos, & inermes. Procedunt illis obviam posito metu, vixque data ac reddita salute, Casiquios agnoscunt ejus vici, unde ipsi pridie exierant. Erant christiani ambo, & amici, veniebantque ut Ruizio laboranti opem ferrent. Rogati, unde hæc illis fuisset injecta mens, auditum sibi, dixerunt, de Patris periculo, & fuga: ne vero oram inhospitalem pererrare diutius cogere, ad eum quarendum, & excipiendum properasse. Mirari licuit providentiam Numinis singularem. Auxit vehementer admirationem, quod duo fenestras annorum circiter octoginta, tantum itineris sesquihora pere-

gerant, quantum vix octo juvenes validissime remigantes potuissent horis novem. Gratiis igitur Deo O. M. persolutis, accipiuntur in naviculam cum Ruizio neophyti, & ad sua sospites redeunt.

Ac Ruizius quidem, tametsi doleret periisse fructum laboris & consiliorum suorum, spem tamen de Tajobensibus conceptam non abjecit omnino, sed tantum distulit. Interim ad Xaverianos reflectens iter, novi fundandi oppidi occasionem arripuit. Inter veteres neophytorum colonias, & Xaverianam recens conditam, medii erant Tucutienses, quorum multos in oppidum Lauretanum deductos alibi vidimus, Ruizio opportunus in primis videbatur excitando oppido locus, cum alias ob causas, tum ob eam maxime, ut commercium inter Christianos continuaretur. Namque id maximi esse momenti putans vir prudens, in oppidis constituendis rationem loci habebat præcipuam, novasque illas religionis velut arces ita disponebat, ut iter per eas esset perpetuum ac tutum, nullique a tergo hostes relinquerentur. Illuc ergo progressus, nactusque Casiquium consiliis suis non adversum, effecit spe citius, ut ex omni valle, quam sparsim habitabant Tucutienses, plerique unum in locum domicilia transferrent, quem ipse locum S. Josephi titulo insignivit. Tum evocato P. Simone Mazeta, qui pusillum custodiret gregem, cum paucis comitibus perrexit terrestri itinere ad Xaverianos. At compendia viarum quaerens, in extremas se coniecit angustias, quibus ut eximeretur peculiari Dei providentia effectum est. Diu per avia silvarum ac montium erravit, inter sexcenta pericula, ignarus ubi locorum esset, nec ullum habens indicium via, qua progredieretur, aut rediret. Triduum ipsum sine potu transegit ob inopiam aquæ, donec extinguendæ siti repertum est genus ligni uliginosi, ex quo compresso qualiscunque humor eliciebatur. Famem aliquandiu meris foliis arborum fessellit verius, quam expleret. Venerat denique ad ripam Tibixivæ amnis. Eo loco, ut erat labore fractus, præcidit in genua, tum ut quiesceret paululum, tum ut opem superum, ac nominatim Raphaelis Archangeli exposceret. Dum ipse tacitus piam peragit precem, venit in mentem forte uni ex comitibus inflare cornu bellicum, quod apud se habebat. Mirum dictu! Redditur continuo ex altera ripa par sonitus: nec multo post apparet ex adverso manus Xaverianorum, qui cum audissent de Ruizii adventu, ipsum expeditis lintribus quaesitum veniebant. Attonitus tam præsentis Numinis patrocinio Sacerdos, exclamasse dicitur quod olim Petrus: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*. Post mutua gratulationis officia, in cymbam excipitur cum focis, & in oppidum S. Xaverii deducitur. Quam benevole susceptus ibi fuerit, facilius quivis possit cogitatione fingere, quam ego verbis consequi. Neophytos reperit, non solum multis partibus auctos numero, sed anno uno unius Cataldini opera sic exultos, ut ab antiquissimis Christianorum vix differrent, nihil amplius dicam, nisi quod dignos censuit, apud quos altaris mysterium perpetuo servaretur. Nondum inde excesserat, cum legationem accepit a Tajatiensibus, in civitatem unam conjungi postulantibus more Christianorum. Guairanæ montana hæc natio incolebat, ingenio subdola, insidiisque ac fraudibus grassari solita. Non deerant qui suspectam Ruizio legationem facerent. Barbaros ejus indolis, quæcunque obtenderent humanitatis ac benevolentiae signa, negabant adiri posse sine manifesto periculo. Verum ille, suspiciones ut inanes contemnens, eo advolavit, quo fuerat evocatus. Homines reperit, non solum amicos ex animo, & bonæ fidei, sed etiam baptismi cupientissimos. Itaque susceptus supra quam speraret humaniter, brevi mille & quingentas familias in unum coegit oppidum, cui nomen ab Incarnatione fecit. Consistere in hoc loco jussit P. Christophorum Mendozam: ipse, post traditam oppidanis doctrinam fidei, ac plerisque baptismum, ad Tajobenses denuo se convertit. Sed hæc erunt alterius loci.

Nunc evolvenda breviter reliqua scitu digna, quæ toto hoc præterito tempore evenerunt. Primum obtinet locum divisio provinciæ eodem hoc anno

To. I.

A a a 2

excun-

279.

Oppidum S. Josephi conditum inter Tucutienses.

280.

In extrema angustia præsentem Dei opem experitur.

281.

Quales invenerit neophytos in oppido S. Xaverii.

282.

Oppidum Incarnationis extruit inter Tajatienses.

283.

Regnum Chilenum in Viceprovinciam erigitur.

exeunte facta. Auctor divisionis Provincialis Mastrillus Durandus fuit; qui cum experientia cognovisset, immensum provinciæ corpus, quippe Chilenum regnum, Paraquariam, & Tucumaniam complectens, non posse commode ab uno præposito administrari, socios autem tam longe lateque dispersos inspicere coram, uti oportebat, omnino non posse; persuasit Mutio, ut detraheret illi regnum Chilenum, natura ipsa, & perpetuo montium jugo discretum, ex eoque constitueret peculiarem viceprovinciam, quæ a suo seorsum præposito regeretur. Consilium probavit Mutius, quibusque litteris id ita fieri decernebat, Chilensibus domiciliis adjunxit collegium coloniæ Mendocinæ, quæ in montibus Chilo imminetibus sedet. Præfecturam novæ viceprovinciæ accepit ex designatione Præpositi Generalis P. Joannes Romerus, vir prudentia insigni, & opinione virtutis domi forisque laudatus, de quo iterum in his annualibus sermo recurret. Caterum, etiam post detractionem regni Chilenis, longissime protendebatur provincia Paraquariæ, ac novis subinde incrementis augebatur. Tot enim de novo domicilia acquirerebat, quot fiebant indigenarum reductiones in oppida, quibus singulis Parochus de Societate relinquebatur. Novissime, præter Urvaicenses, Iguazuanos, Ibitirambetanos, Tucutienses, Tajatienses, quos nostris hominibus commisos dicebamus, Salta, colonia Hispanorum exigua in Tucumania, collegium Societatis acceperat. Sumptum extruendis ædibus ac templo fecerat Magistratus urbanus, ejusque liberalitatem Præpositus Provincialis eo admiserat libentius, quod illa ex urbe facilis erat accessus ad Calchaquinæ vallis incolas, quos tametsi nostri contumacissimos, ut alibi dictum est, experti fuissent, sperabant tamen crebris excursionibus aliquando subigendos. Etiam Villarica, quæ Hispanorum princeps colonia erat in Guairana, Societatis collegium hoc tempore deposcebat. Quamvis enim Villaricani pridem essent nostris hominibus capitaliter infensi, propterea quod ipsorum præcipue opera impediabantur, ne miseris Indos immiti servitio premerent; tamen cum ad eos venisset hoc anno Durandus Provincialis, mutata voluntatis indicia luculentissima præbuerunt. Non eo contenti sunt; ut venientem exciperent honore insigni, quo vix Episcopum Prætorumve potuissent, sed præterea habendæ Societatis summam cupiditate præferentes, negarunt se passuros ut abscederet, nisi prius Villaricæ initium aliquod ac rudimentum collegii posuisset. Quod ardore tanto pronuntiaverunt, ut Durandus socium illis suum dimittere coactus fuerit, P. Christophorum a Turri, quippe alium non habens in promptu. Turrio mox adiutorem addiderat P. Paulum de Benaydes, ut ambo conjunctis studiis coloniam excolerent, quæ subsidiis æternæ vitæ penitus destituta erat. Sed collegium ita coeptum ne perficeretur, prohibuerunt egressi paulo post e Brasilia latrones, qui coloniam illam funditus everterunt, Felicioribus ad perennitatem auspiciis posita per idem tempus sunt fundamenta collegii Riocensis. Riocam ut induceretur Societas egerant sæpe Tucumania Prætores, at semper conatu propter sociorum paucitatem irritum. Rem denuo tentavit qui nunc provinciam cum imperio obtinebat Joannes Quinionius, & assignato justo vectigali consecit. Nam cum nostrorum præsentiam magno sibi futuram usui cives profiterentur, ipsorum precibus, ac Prætoris auctoritate vinci se passus est Præpositus Provincialis, ut exiguam sociorum familiam Riocæ poneret, quæ progressu temporis jus nomenque collegii adepta est.

Succrescente in hunc modum per dies prope singulos messe, optandum sane erat ne operarii minuerentur. Plures defuerunt tamen, atque ex iis aliqui inter paucos egregii, quorum est memoria litteris consignanda. De Joanne Vafæo peste consumpto, dictum est supra. Paucis diebus illum præcesserat P. Joannes Viana, qui eadem ac magnus Xaverius patria genitus in Navarra, ejusdem virtutes, laboresque apostolicos æmulabatur. Ante annos triginta circiter ex Europa in Peruviam, inde in Tucumaniam venerat, ubi cum didicisset quatuor diversarum gentium difficillimas linguas, multa variis in locis bar-

284.
Salta collegium Societatis instituitur.

285.
Collegium inchoatur Villarica, & mox dissolvitur.

286.
Collegii Riocensis initia.

287.
Mors & elogium P. Joannis Vianæ.

barorum millia ad Christi ovile pertraxit. Labores exantlabat unus, quibus obrui multi, iique valentissimi possent: dignam apostolico viro usurpare vocem solitus, nulla laborum magnitudine æquari preium unius animæ. Romam venerat provinciæ suæ procurator. Ea in urbe, atque in ea prorsus domo, qua summis omnium gentium viris abundare solet, mirum ut omnibus satisfecerit. Eum Murius, ob animi candorem ingenuum, & religiosam in agendo simplicitatem, suum columbulum vocitabat. Finem vivendi fecit Cordubæ, anno sæculi vigesimo tertio, mense Februarii, cum paulo ante collegii illius magistratu defunctus esset. Par sui desiderium reliquit anno proxime consecuto P. Dominicus Gonzalez, dum maxime collegium Mendocinum rector administrabat: vir æque divinæ gloriæ appetens, & adversus naturæ cupiditates inexorabilis. Solemne illi erat se bis terque in diem flagris concidere. Cibo utebatur parcissimo, somnum carpebat brevem, & perincommodum, cilicium setis horridum perpetuo gestabat. Quanto flagraret studio animarum, ex una tantum re conjecturam fieri velim. Solebant degentes in collegio Mendocino Patres per intervalla temporum ad proximos Cujoenfes excurrere, nec tamen laboris immodici fructum referebant, nisi perexiguum, vitio gentis, quæ ingenii asperitate intractabilis, & metu servitutis suspiciosissima, eorum non solum consuetudinem, sed aspectum prope ipsum refugiebat. Ea res Patrum cæterorum ardorem retardabat: nam quem non pigeat laboris gravissimi, & irriti? Gonzalez contra, satis quaestuosum laborem putans, qui esset Christi causa susceptus, eos adire nunquam cessabat. Fugaces, & refractarios pari alacritate quærebat, ac si morigeros docilesque esset habiturus, felix, si vel unum Christo subiceret. Ulterius progressa est hominis virtus eximia. Voto se obstrinxit, si modo per moderatores liceret, nunquam ab illa excolenda provincia destitutum. At excursionem ultimam, cum peragrasset millia passuum ferme quingenta, lethalem ex labore morbum contraxit, quo intra paucos dies extinctus est. Patria illi fuit Tenarife, una ex insulis fortunatis. Numerabat vitæ annos novem supra triginta. Præter hos, quorum erat peculiaris facienda mentio, alii plures decesserunt intra breve tempus operarii, magno reipublicæ damno, nec minore Patrum reliquorum incommodo, qui pauci cum essent, tam multis gerendis rebus pares non erant. Ob eam rem Durandus Provincialis misit in Europam P. Gasparem Sobrinum, qui supplementa quæreret, & nova sociorum auxilia conficeret. Discedenti dederunt Præfecti regii litteras ad Regem Hispaniæ perferendas, quibus nihil Societati honorificentius. Erat in iis litteris de egregia nostrorum fide erga Principem, de ipsorum laboribus apostolicis, de industria in conquirendis subjiciendisque barbaris, quantum denique illis religio, quantum Hispania deberet. Missæ alia parte dicebantur occultæ, ac minus aquæ contra nos relationes ab Episcopo Paraquariensi: sed eas Philippus, aut non accepit, aut contempsit. Illud constat, ministrorum suorum testimonio Regem valde delectatum fuisse. Hinc e re publica futurum putans Societatis coepta promovere, non solum Sobrino permisit, ut quam posset maximum sociorum numerum in Paraquariam deveheret, verum etiam singulis alimentis suppeditari e regio arario iussit. Sed hæc in aliud tempus excessere. Sobrinum in Paraquariam reducem, ac secum adducentem delectos socios quadraginta duos, videbimus post triennium.



288.

Obitus & obitium P. Dominici Gonzalez.

P. Gaspar Sobrinus in Europam navigat ad conquirenda sociorum auxilia.